



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>



**SCRIPTORUM
LATINORUM
SAECULI XIX.**

DELECTUS.

CURAVIT

FRID. TRAU. FRIEDEMANN.

PARS SECUNDA.

LIPSIAE, A. 1840.

SUMTUM FBCIT AC VENUMDAT GEORGIUS WIGAND.

AUGUSTI WEICHERT

ORATIO DE ANTIQUA SCHOLARUM PROVIN- CIALIUM SAXONICARUM DISCIPLINA EIUSQUE SALUBRITATE *).

Illuxit tandem exoptatissimus ille dies, et cum multis, tum maxime mihi desideratissimus, quo post decennium fere curarum laborumque plenissimum nova haec et amplificata Musarum sedes solemnī rītu inauguranda est et pia votorum nuncupatione consecranda. Habemus igitur, quod omnibus ac singulis congratulemur; habemus, quo gratulabundi exsultemus. Sed quamvis larga mihi hodie suppetat laetandi materia, tamen nescio, quī fiat, ut oranti mihi repetentique praeteriti temporis memoriam tacitus quidam obrepat dolor, et quae consanuisse videbantur vulnera, in hac ipsa hodierni diei solemnitate recrudescant. Accidit enim fati quadam iniquitate, ut ii viri, quorum auspiciis, consiliis, sapientia ac liberalitate decem abhinc annis hoc Moldanum et instaurari et amplificari coeptum est, praesentes inter ac vivos frustra hodie quaerantur a nobis, et tenerimo animi affectu desiderentur. Obversatur cum

*) Habita in ipsis illustris apud Grimam Moldani enceniis d. 14. m. Septb. a. 1828, et postea typis vulgata.

maxime animo meo ingens ac funesta, quam per decennium proxime superius expertus sum, rerum humanarum fragilitas, nec dici potest, quantum illa non modo linguam, per se infantem, debilitet, sed etiam laetitiae, ex huius diei solemnitate capiendae, sensum hebetet atque obtundat.

Quum autem valere apud nos debeat clarorum virorum, etiam mortuorum, memoria, pietatis profecto est et grati animi, ut, quibus hodierni diei laetitia acceptam referimus, eorum ante omnia memoriam instauremus, nomenque merita laude ornemus. Id agentibus nobis primum occurrit sanctum illud totique Saxoniae venerabile nomen *Friderici Augusti*, qui, dum vivebat, etiam in scholis provincialibus eam laudis suae gloriaeque sementem fecit, quam iam secuta est laetissima et uberrima messis, et, si rite auguror, in seram usque posteritatem sequetur. Nam quos Mauritius, immortalis Elector memoriae, ex tribus coenobiis fecerat patriaeque iuventuti aperuerat ludos, eos *Fridericus Augustus*, quae fuit sapiens eius liberalitas, immutata prudenter pro temporum ratione eorum forma interna et externa, renovandos, amplificandos et exornandos curavit, suumque nomen immortalitati ita consecravit, ut merito alter Mauritius habendus sit dicendusque. At huic munificentissimo Moldani nostri instauratori quo minus hodie viventi adhuc florentique gratissimi sensus animi publice contestemur, idem obstat fatum, quo per decem annorum decursum cum alia patriae ac literis exstincta dolemus lumina, tum etiam *Ferberum* et *Rackelium*, benevolentissimos sapientissimosque rerum nostrarum curatores et inspectores, nobis ereptos esse peracerbe lugemus. Nam, quanto quisque eorum vel rerum scho-

lasticarum amore et peritia fuit illustrior, vel studio in Moldanum nostrum et voluntate propensior; tantum etiam vivendi spatio ut vulgarem hominum sortem ac mensuram egrederentur, nunquam non optavimus et a summo numine precati sumus. Sed frustra: utrumque enim virum, quorum strenua opera ac consilio novum et difficile instaurandae huius scholae opus auspicatissimo successu inchoatum erat, in ipsis eius initiis et in medio vitae gloriaeque cursu necopina abstulit mors, qua res nostras, si non conturbatas, certe haud mediocriter interruptas attoniti sollicitique vidimus. Multa profecto sunt et magna *Ferberi Rackelii*que in hanc scholam merita, et utriusque nomen dignissimum, quod, Moldani annalibus inscriptum, a magistris pariter ac discipulis sempiterna colatur pietate!

Nolite mirari, AA., mihi haec dicenti paulo gravius commoveri animum. Utrumque virum nascentis meae laudis eximium habui fautorem; utriusque nimis honorifico de me iudicio Afra huc vocatus sum, et in tanti operis societatem assumptus; per utrumque, dum vivebant, mihi copia facta fuit et opportunitas difficillimi partes muneris, quo me ornaverant, lubenter et incunde exsequendi. Quapropter, nisi hodierno die, quo lubricum et confragosum laboris cursum emensus, ad metam perveni et operis incepti cum illis prinitias solus percipio, piis eorum manibus dignis parentarem laudibus, omnium essem ingrattissimus.

Verum tamen nolo amplius vita defunctos laudatione quamvis merita prosequi, ne in tanta omnium laetitia et gratulatione aut intempestivo cuidam dolori indulgere, aut ingratus esse existimer adversus eos, qui post illos eodem in nos nostramque

scholam ducti studio permagnam, quam feceramus, iacturam pensarunt, et idem nobis pari voluntate nec dispari eventu praestiterunt. Itaque quidni mirifice gaudeam et alta voce praedicem, *Friderico Augusto* successisse *Antonium*, Regem Potentiss. ac Clementiss., et denuo a providentia divina datum esse Moldano nostro nutritorem liberalissimum, qui non passus sit in se desiderari generosum *Albertinae* prosapiae animum et in scholas provinciales munificentiam, et qui, strenuus fraternae gloriae aemulus, non commiserit, ut, quod fratri pepererat ornamentum scholae Portensis et Afranae dedicatio, id sibi suoque imperio derogaretur neglecta Moldani magnificentius instaurati consecratione? Quidni hodie gratus agnoscam et ornatissimis verbis efferam singularem prolixamque *Ordinum* provincialium in nos liberalitatem, qua adhuc sustentati futurum esse speramus, ut huius quoque scholae rebus, flagitiosa nuper attritis incuria, succurrant? Quidni denique mihimet ipsi et scholae summo opere gratuler, *Ferbero* successisse virum perillust. et singularem Moldani nostri patronum, quem praesentem venerari hodie nobis contingit, et in *Rackelii* locum duo deinceps sublectos esse inspectores, viros egregios, qui pro suo literarum bonarumque artium amore hanc Musarum sedem, quo laetiora in dies caperet incrementa, nunquam non suo patrocinio et cura amplexabantur, eiusque magistros ac discipulos multis egregiisque favoris et gratiae documentis condecorare, et ad omne laudis virtutisque decus excitare, honori sibi semper gloriaeque ducebant, hodieque ducunt? Quorum in laudes quominus animo meo obsecutus hac oratione copiosius excurram, cum ipsorum pudor impedit et modestia,

excellentium quorumque virorum propria, tum maxime timor, ne per inhonestam quamdam assentationem aut praesentium auribus servire, aut absentium favori et gratiae velificari coarguar. Id autem facere non possum quin candido gratoque profitear animo, immortales deberi iis gratias, ut qui, innumbris licet immensisque conflictati rerum temporumque difficultatibus, tamen opus alienis inchoatum auspiciis, magna cum animi fortitudine et ea, qua par erat, consilii constantia profligarint, neque ulli operae impensisve pepercerint, ut, quo loco nuper steterat Moldanum humile, situ et squalore obsitum, et propemodum vetustate ac ruinis collapsum, ibi in posterum splenderet amplum et magnificum Musarum templum, antiqua Saxoniae gloria dignissimum.

Iam pietati quum satisfecerim, ad dicendi argumentum progredior. Quod autem orationis argumentum deligam, vel tempori huic ac loco aptius, vel muneris, quo fungor, rationi accommodatius, quam quod ex medio rerum ad scholas provinciales pertinentium orbe depromptum sit? Has inter res, si quid iudico, omni tempore cuiusque animum advertit *disciplina* i. e. instituendae educandaeque iuventutis ratio, quam illae scholae inde ab initio sibi praescriptam secutae, et, quoad per varias temporum opinionumque humanarum vicissitudines fieri potuit, constanter tuitae sunt. Haec disciplina, quam virorum belli pacisque artibus excellentium fecundam semper fuisse matrem, trium ferme saeculorum attestatur historia, tanto magis digna erit, quae hodie a nobis spectetur, quanto ardentius in votis habemus, ut novum, quod hodie inauguramus, Moldanum pristinam suam laudem in posterum quoque intemeratam servet atque incolumem.

Quare *antiquam Scholarum Provincialium disciplinam* si hodie orationis meae facio argumentum, futurum esse spero, ut dicenti mihi apud *Vos, AA.*, tum ipsius rei gravitas, tum *Vestra* in has scholas pietas faciant audientiam. Qua ne abutar, brevitati studebo, et rem ipsam summatim tantum et digittum velut intendens exponam, ita tamen, ut *Vobis*, viris sapientibus et, quae sit hodie institutionis scholasticae per varias progressae iactataeque vicissitudines ratio, probe gnaris, satis dixisse existimer. Apud *Vos* autem, *discipuli*, orationis meae ea velim sit vis et auctoritas, ut praeceptori mihi, qui in scholis provincialibus ipse adoleverim et paene consenuerim, fidem habeatis de iis rebus dicturo, quae animos *Vestros* praeteriti temporis recordatione ad cautum sapientemque praesentium bonorum usum revocare atque instigare possint.

Quae scholis provincialibus, *Mauritii* et *Augusti* Electorum iussu, primum per Io. Rivium, deinde per Ioach. Camerarium, et G. Fabricium *) scripta erat iuventutis instituendae ratio seu disciplina, ea perquam *simplex* erat, quippe quae eo fere rediret, ut pueri vera religionis christianae, ex ipsis scripturae sacrae fontibus haustae, cognitione imbuerentur, et docta inprimis instruerentur veterum linguarum literarumque scientia, quam, si non procreatricem evangelii per Lutherum revocati, certe potentissimam eius adiutricem fuisse, intellectum fuerat. Itaque eis in scholis, quas immortales illi Electores emendatae a Luthero fidei christianae

*) V. J. A. Mülleri *Versuch einer vollständ. Gesch. d. Chursächs. Fürsten- u. Landschule z. Meissen*, Lpz. 1787. Vol. I. p. 24. sqq.

arces esse voluerunt et propugnacula, praeter catechesin, quam vocabant, et scripturae sacrae interpretationem, magistris praecipue imposita erat et commendata scriptorum graecorum et romanorum enarratio: cui si addideritis quaedam artis rhetoricae et dialecticae exercitia, habebitis totum institutionis, quae tum erat, scholasticae orbem, in quo iuventutis studia continerentur. Haec disciplina, quamvis simplex et exilis, tamen, ut *G. Fabricii* verbis utar, eximios theologos, magnos oratores, politos iureconsultos peritosque philosophos in rempublicam et in ecclesiam quasi in colonias emisit.

Neque tamen fieri poterat, quin progressu temporis haec scholarum provincialium disciplina et emendaretur variis partibus et amplificaretur: id quod iam *Christiano II.* Electore factum esse constat. In qua quum haud pauca remansissent, quae scholasticorum sordes redolerent, et adauctae ingeniorum culturae parum responderent: factum est, ut subinde de scholasticae disciplinae sterilitate graves, nec vanae audirentur querelae. His tandem satisfactum est illa rerum scholasticarum formula, quae scripta ab *J. A. Ernestio* a. 1769. Ordinum provincialium iudicio subiecta et quadriennio post principis auctoritate sancita prodiit*). Hae in formula sapiens illud, licet perdifficile, institutioni scholasticae adhibitum erat temperamentum, quo praecautum est, ne iuvenilia ingenia in scholis varietate et multitudine rerum discendarum vel distraherentur vel obruerentur, ne diversarum doctrinarum scien-

*) *Erneuerte Schulordnung für d. Chursächs. drei Fürsten- u. Landschulen, Meissen, Grimma u. Pforta. Dresd. 1773. 8.*

tia, primoribus tantum delibata labris, ad eruditionis vel levitatem vel ostentationem avocarentur, inprimis ne, quae in academiae demum spatiis maturioris ingenii iuvenibus addiscenda essent, ea iam pueri intra angustos scholae cancellos praeciperent, aut praecepisse sibi viderentur.

Tametsi Ernestius, prout temporum ratio ferebat et cultura, etiam aliis doctrinis, ut mathesi, historiae, philosophiae suum, quem in institutione scholastica merebantur, locum concesserat; tamen, unde omnem ingenii cultum derivandum iudicabat, eruditae antiquitatis monumentis, quem adhuc in scholis provincialibus obtinuerant principatum, de novo vindicaverat et a meticulosa quorundam pietate, qui ex illorum studio teneris puerorum animis perniciem nescio quam illatum iri expavescebant, tutum praestiterat*). In his iussi erant scholarum provincialium alumni, nullo sanguinis fortunarumque discrimine, omnes proficere; in his studiorum suorum et vitae tabernaculum collocare; in his suae eruditionis fundamentum ponere, quo reliquae doctrinae superstruerentur et eruditionis verae accurataeque tamquam adiutrices assumerentur et ornatrices. Et ne iuventutis suapte natura ad nugae lusque propensae animus a gnava humaniorum studiorum tractatione abduceretur, ex rerum in scholis provincialibus docendarum orbe seclusas esse voluit Ernestius artes equitandi, velitandi et batuendi, utquas non illiberales haberet et sordi-

*) V. Niemeyeri *Grundsätze d. Erziehung u. d. Unterrichts*. Hal. Sax. 1819. Vol. III. p. 352—56. et adde ea, quae narraui in *Epistola ad Käufferum* V. Cl. Grimae, 1824. p. 14. sqq.

das, sed alienas a scholis, quas conveniret esse non tam corporis, quam animi palaestras.

Sed mirabili casu accidit, ut paulo post, quam illa Ernestii formula publici iuris facta erat, novam totique humano generi salutarem iuventutis institutionem magno hiatu promitteret et praeiret Basedovius. Eximius ille sapientiae suae praeco ac veluti buccinator antiquam scholasticae institutionis rationem, qua puerorum ingenia veterum linguarum syllabis apicibusque excruciantur, qua eorum animi graecae et romanae antiquitatis gerris crepundiisque ad humilitatem abiicerentur, eorumque memoria rerum ad vitam victumque inutilium scientia obrueretur, verbo, qua iuventus non vitae, sed scholae discere iuberetur, alta voce criminatus effecit, ut multis in scholis antiquae disciplinae simplicitas praeceptis ire coeperit*). — Quamquam novae istius disciplinae inventor, vix orsus fabulam suam, in primo statim actu turpiter concidit, et famigeratum illud Philanthropinum iam dudum iacet sepultum, tamen disseminatam per illum de iuventutis institutione vanitatem nolite putare, AA., omnium animis iam esse extirpatam. Quid? quod scholas quoque provinciales tamquam pestilenti sidere afflare coepit earumque disciplinam levius gravius infecit. Quis enim neget, rem hodie apud nos quoque eo spectare, ut haud pauci iuvenes literas artesque liberales non propter ipsarum praestan-

*) Unus ex decessoribus meis, I. Tob. Krebsius, Ernestinae disciplinae alumnus, scripsit a. 1776. *Vannum criticam in inanes paleas operis elementaris Basedoviani*: quae legitur in eius Opusc. N. XIX. p. 479. Hanc prolationem, atrae bilis plenissimam, Krebsius, si non iussu, certe tacito sum morum scholae procerum assensu in lucem emisit.

tiam, sed ~~asum~~, quem vitae praebeant, tractent, et omne doctrinae pretium pane lucrando metiantur? ut frigeant veterum linguarum, vernacularum vero novellarumque artium cum vita victuque proprius coniunctarum studia ferveant? ut multis graecae imprimis linguae studium sordeat, et haud raro, quo quis eorum est natalium splendore illustrior, et ob maiorum imagines ad amplissimos honores adspirandi cupidior, eo facilius se graecae linguae scientia, tamquam superflua doctrinae supellectile, carere posse opinetur*)? Neque hoc mirum quam habere potest. Non desunt, mihi credite, parentes, qui filios suos non tam accurata et ex antiquitatis fonte hausta doctrina, quam varia rerum recentiorumque literarum scientia a nobis instructos velint, et hanc Polymathiam, ut hac voce utar, levi tantum, si Diis placet, tinctam ac velut incrustatam qualicunque antiquitatis graecae et romanae cognitione, verum ac summum institutionis scholasticae fructum esse dicant**).

Quanto sapientius maiores nostri in scholis provincialibus iuventutem praecipue in doctae antiquitatis studio continendam et ab iis retinendam censuerunt doctrinis, quae mentem distraherent potius obruerentve, quam alerent et corroborarent. Non enim dubium illis erat, quin omnes, qui simplici, sed salutari antiquitatis tamquam succo nutriti, ex hoc perenni fonte ingenii cultum, sapientiae ac prudentiae praecepta et vitae bene instituendae exempla

*) Conf. quae collegit et sobrie hac de re scripsit *Friedemannus*, in *Paraeneseen f. studir. lüngl.* Vol. I. p. 22. sqq. et p. 120. sqq.

**) Praeclare *I. H. Vossius* in praef. *Arati*. Heidelb. 1824. p. VII.

hausissent, hunc verae humanitatis sensum non modo ex scholae cancellis in liberiora academiae spatia, sed etiam in vitam civilem secum laturi, et in reipublicae luce, in foro, in bello, in legationibus aliisque gravissimis civitatis muneribus omnes partes praeclare tuituri essent. Iam quaeso *Vos*, num maiores nostros sua fefellerit opinio? Videte, illa antiquae disciplinae simplicitas quam fecunda fuerit, eventumque saluberrima! Contemplemini ingentem eximiorum proventum virorum, qui postquam in scholarum provincialium umbra per antiquitatis monumenta rectam sibi aperuerant viam, inde in solem et pulverem progressi in quocunque vitae genere ad solidae gloriae decus grassabantur. Et, quaeso *Vos*, num olim frequentius, quam hodie auditae sunt doctorum academicorum haud iniustae querelae, quod a nobis, scholarum magistris, dimittantur in academiam iuvenes falsa scientiae opinione inflati, sibi sapientes, at inanes, imparati nec cupidi, quibus recludantur divinae humanaeque scientiae penetralia? Haud iniustas dico illas querelas; nam ista, mihi credite, ista rerum, quas in scholis hodie tradere iubemur, copia pauperiores nos facit discipulorum accurata excellentium doctrina! At illa antiquae disciplinae simplicitas, seu, ut a multis dicitur, sterilitas, hanc habebat vim, ut ex scholis provincialibus in academiam abirent iuvenes non onerati, sed ornati eruditionis supellectile, curta quidem illa, sed eleganti et ex pulcherrimis Graeciae Latinaeque monumentis parta, ut doctores academici sibi gratularentur, si suos inter auditores conspicerent Alumnos Misnenses, Portenses et Grimeneses, utqui graece et latine doctissimi et flagrantiore, quam qui in scholis expleri satiarique posset, opti-

marum artium amore incensi a doctoris academici ore penderent, et modeste scientes, quantum sibi ad doctrinae copiam, lectionis ubertatem iudiciiue maturitatem deesset, tantum perseverantia laboris, summoque studii et industriae ardore supplerent, ornarent, amplificarent, mirifice adiuti ea in re disciplinae, qua in scholis provincialibus usi fuerant, severitate.

Nam in confesso est, antiquam scholarum provincialium disciplinam suam, quam exposui, simplicitate tanto fuisse salubriorem, quanto eadem etiam fuerit *severior*. In hac orationis meae parte ero brevissimus, non quo subterfugiam matercularum mihi rigorem obgannientium querelas, aut superciliosas Philanthropistarum cavillationes evitem, sed ne longiore rei omni omnium aetatum historia comprobatae expositione Vestrae sapientiae ac Vestro iudicio diffidere videar.

Cum multa sunt a maioribus nostris retenta in scholis provincialibus et ad inventutis educationem translata, quae coenobii speciem et rationem referrent, tum etiam hoc, quod alumni monachorum ritu a communi hominum congressu et convictu segregati cellas inhabitare et per definita ac descripta temporis et diei intervalla suum quisque opus obire iubebantur. Accedebat perpetua et austerula quaedam inspectio et custodia magistrorum, a quibus ad unum omnes, sive nobiles nati, sive ignobiles, continuo studiorum tenore et exercitatione ita occupati tenebantur, ut a primo mane ad vesperam usque non nisi modica daretur intermissio. Denique magistrorum et legum tantam maiores nostri volebant esse vim et auctoritatem, ut ipsorum voluntas pro ratione staret, ut leges non disputarent, sed iuberent; ut, si qui pueri,

custode et legum vicario absente, illarum repagula vel levitate transilirent, vel vi et pervicacia perfringerent, graves luerent poenas, et, si quis eorum nec monitis poenisve ad frugem esset revocandus, tamquam impurus exulare iuberetur, priusquam totum inquinaret gregem *).

Haec antiquae in scholis provincialibus disciplinae severitas licet iam olim fuerint quibus displiceret **), tamen potissimum male audire coepit, ex quo nova ista de iuventutis institutione et educatione sapientia latius disseminata multorum animos occupavit. Hinc exstiterē, qui et voce et scriptis declararent, ex his scholis per solitariam vitam non homines politos prodire, sed insulsos monachos, qui aetate in tenebrosis ergastulis conterenda permagnam quidem eruditionem, sed nullam morum elegantiam vitaeque usum sibi comparassent. Hinc fuere, qui angustioribus mallent circumscribi finibus ingenii, quam corporis culturam, alumnosque voluptariae vitae fructu pallescere, quam studiorum assiduitate et tenore, dum modo belluli schola exirent et hominum elegantium circulis apti. Hinc non defuerunt, qui etiam scholarum provincialium magistris eam commendarent rationem, qua illi iuventutem ludendo potius, quam iubendo institue-

*) Hanc necessitudinem ac veluti contubernium magistrorum in scholis provincialibus et alumnorum verissimis coloribus depingit, severae istius disciplinae alumnus egregius, quo Moldanum nostrum superbit, C. Baumgarten-Crusius in: *Briefe üb. Bildung in Gelehrtenschulen.* Lpz. 1824. p. 39. sqq.

**) cf. I. A. Müller l. c. Vol. 1. p. 70. De disciplinae perversitate, quae hodie hic illic in scholis celebratur, prudenter nuper scripsit V. D. in *Allgem. Schulzeit.* Sect. II, N. 35. 1828.

rent; qua, quidquid doctrinae iuvenibus ad vitae usum impertiendum esset, eis tamquam praecoxum praemansumque cibum apponerent, scilicet ne tenebrae naturae, sicubi a molli inertia revocata ad strenuam incitaretur industriam, vis inferretur aut ingenium ad altiora surgens inutilis doctrinae onere deprimeretur.

Iam hanc instituendae educandaeque iuventutis humanitatem nescio dicam, an molliem contendite, AA., cum disciplinae severitate, scholarum provincialium olim propria, et animo Vobiscum reputate, utra fuerit et consilio sapientior et eventu salubrior. Maiores nostri sapientissime, si quid iudico, iuvenibus, qui ad optimarum artium laudem adspirarent, interdixerunt vulgare hominum commercium, utpote inimicum Musis, quae secreta petunt loca urbisque strepitum fugiunt. Hac ratione simul cautum est, ne illi, cognitis voluptatum invitamentis variisque, quae communis hominum vita abunde praebet, luxuriei instrumentis corrupti, a virtutis pietatisque via abducerentur, neve in thermopoliis inertiumque hominum sessiunculis potius, quam in Musarum con-
tubernio, animi oblectationem quaerere discerent. Quo magis autem teneri et sequaces iuventutis animi ad spernendas vitae delicias occallescerent, iidem maiores nostri censuerunt, illam ab omni ignavia retinendam esse et strenuae industriae assuefaciendam, haud veriti, ne hac assidui laboris severitate vegetae alacresque animi corporisque vires frangerentur et, antequam se in florem et maturitatem explicassent, flaccescerent. Alienissimi enim erant ab insipida eorum cura, qui, dum puerorum corpori metuunt, secure patiuntur animum ignavia, omnis generis vitiorum genetrice, corrumpi.

Quamdiu igitur in scholis provincialibus antiquae disciplinae severitas viguit, tamdiu alumni non invitati sunt verborum blanditiis, sed poenarum minis coacti, ut vel invitati in cellularum umbra per multas diei horas delitescerent et sub magistri oculis ad literarum studia incumberent. Durum hoc videtur atque illiberale! Neque tamen maiores nostri exstimandi sunt aut saeviores fuisse in iuventutem aut imprudentiores. Nam et ratione et experientia edocti intellexerant, eiusmodi improbo studiorum tenore fieri solere, ut tardiora ingenia exstimularentur, hebetiora, admota hac velut industriae coticula, acuerentur, leviora salubriter continerentur, et sensim ad laboris per omnem vitam necessarij patientiam cum fructu indurescerent. Denique illi nequaquam metuebant, ne hac imperati laboris assiduitate ingeniosi iuvenes studiorum taedio caperentur, et exosi istam disciplinae severitatem ab illis plane alienarentur, ne praescripta ista studiorum norma ac lege nativa animi vis opprimeretur, omnisque liberior ingenii impetus retardaretur, aut ne ipsis animis sensim sensimque tantus obfunderetur stupor, ut, quid in quaque re verum, pulchrum et decorum esset, sentire non possent, verbo, ut in ipso sole caligarent.

Ita maiores nostri senserunt de alumnorum in scholis provincialibus educatione, et quam sapienter illi eo nomine senserint, historia, haud mendax veritatis nuntia, declarat. Famosa enim ista antiquae disciplinae severitas quot produxit viros, qui omnes in illis cellulis, quas delicatior nostra aetas fastidire et tamquam nequitiae latibula aversari coepit, amplissimae gloriae, quam posthac consecuti sunt, fundamenta iecerunt, et sobrium illum,

cui his in scholis assueverant, vitae studiorumque ordinem secum in vitam civilem domesticamque abstulerunt! Quot eadem illa produxit heroes litterarum, sine exemplo maximos! Quis Vestrum ignorat consecrata ad omnem posteritatis memoriam nomina? Num, quaeso Vos, in disciplinae Portensis severitate exaruit, ut de poeta poeticis utar verbis, (Hor. od. II, 18, 10) benigna *Klopstockiani* ingenii vena? num in schola Afrana retusum est admirabile *Lessingii* acumen? num ibidem defecit *Gellerti* sapientia mitis, oppressusve *Rabneri* lepor? Nonne in hoc Moldano fundata est *Sam. Puffendorffii* vasta eruditio? Nonne hic *Crameri*, Ciloniensis illius, facundia excitata est, alita, exulta? Et quot possem, si id agerem, nominare viros, qui factis dictisque declararunt, quantum huic disciplinae severitati deberent. Sed quorsum e mortuis testes excito? Testor Vos omnes, AA., quos scio fuisse antiquae illius disciplinae alumnos, an etiamnum deploranda Vobis videatur sors, qua, inclusi scholae cancellis separatique a vulgari hominum congressu, iussi eratis certum vitae studiorumque ordinem sequi, et nocturna diurna manu versare eruditae antiquitatis monumenta et, ut poeta (Pers. 5, 62) ait, doctis impallescere chartis? Nonne factum meministis, ut multi e commilitonibus non acquiescerent in diurni laboris descriptione gnaviter perfuncta, sed studiis operaturi mallent in seram noctem vigilare, vetitosque bibere lucubrationum fumos? Nonne horum exemplo etiam ceteros sive tardioris sive levioris ingenii contubernales ita rectos esse concedetis, ut, qui non plane excors esset, in eum hac tam felici contagione non posset non transundi quaedam aemulandi cupiditas?

Hos fructus tulit antiquae disciplinae in scholis provincialibus severitas, ad quam si nihil praeiudicati attuleritis, eamque incorrupto veritatis sensu contenderitis cum perversa lenitate et mollitie, quae hodie nobis, scholarum magistris, commendari solet, nihil, opinor, dubitabitis, antiquae illi disciplinae palmam deferre, utpote eventu longe salubriori, quam nova, in cuius alumnis profecto non minor est fastus cum levitate et ignorantia coniunctus, non minor decori rectique neglectus, non minores, quae per omnes vitae partes divagantur, ineptiae, quam olim in nonnullis antiquae disciplinae alumnis fuisse, minime negamus.

Quamquam ego non is sum, qui antiqua tantum laudem, et, quae sunt plena vetustatis sordibus, quasi sacrosancta venerabundus admirer, tamen, si scholarum provincialium origines specto et incrementa, nihil dubito affirmare, quo magis in his ab antiquae disciplinae et *simplicitate* et *severitate* recedatur, hoc longius eas a sapientissimo, quo conditae sunt, consilio et vetere, quam per saeculorum decursum adhuc obtinebant, laude esse recessuras. Celsissimi enim Principes, *Mauritius* et *Augustus*, eorumque Consiliarii sapientiss. intellexerant, divinum illud emendatae a Luthero fidei christianae beneficium inprimis deberi renato post depulsas barbariei tenebras antiquarum literarum studio, et doctrinae inde partae praesidiis ac veluti armis recuperatam esse sentiendi cogitandique de rebus divinis humanisque libertatem*). Quapropter illi scholas provinciales eo potissimum consilio aperuerunt, ut alumni, quibus artibus tanta bona parta

*) Cf. Lutheri ponderosa verba Opp. II. p. 459. sqq. fol.

essent et adhuc conservata, in iis praecipuo quodam studio elaborarent, et inde boni fortesque evaderent ecclesiae evangelicae propugnatores et, qua fundata illa est, libertatis vindices. Qui igitur id hodie agunt, ut his in scholis doctae antiquitatis studia artioribus circumscribant finibus, isti videant, ne sanctissimam Principum illorum voluntatem violent, et ecclesiam ac rempublicam suis non tantum ornamentis, sed praesidiis etiam sensim sensimque privent. Nam quis neget, ea iam incidisse tempora, quae denuo in aciem concertationemque evocent contra hostes, qui aut promendo aperto lucis ac veritatis odio ac revocanda fovendaque humani ingenii imbecillitate quadam et caligine iacta a Luthero ecclesiae nostrae fundamenta intrinsecus extrinsecus subvertere connituntur? Contra hos lucifugos nostrae felicitatis obtrectatores, mihi credite, non pugnabitur prosperiore successu, nisi doctrinae accuratae et promptae armis, quae ex cultissimae antiquitatis tamquam officina depromuntur.

Quare scholarum provincialium magistris nihil debet esse gravius, nihil antiquius, quam ut iuvenum sibi concreditorum ingenia simplici et salutari antiquitatis lacte nutrant, et severae industriae, quam constat cum voluntatis emendatione esse coniunctissimam, perpetuo adstringant. Quo facto numquam non ex his scholis mascula prodibit iuventus, non infecta praepostera istius veneno humanitatis, quae, quo latius per omnes disciplinae scholasticae partes serpat, eo citius veri nominis humanitatem pessumdabit, et pristinae barbariei locum concedet.

Quod ne umquam eveniat, agite in his inaugu-

rationis solemnibus conceptis verbis comprecemur, et supremum numen enixe rogemus, ut hoc Moldanum porro et ad rerum humanarum finem esse velit domicilium veritatis incorruptae, virtutis integrae, religionis castae; ut in eo per omnes temporum atque opinionum vicissitudines vigere iubeat antiquarum literarum humanitatem et optimarum artium elegantiam; ut ei numquam deesse sinat iuvenes ingenii animique bonis conspicuos, industriae fructibus excellentes, morum sanctitate commendabiles, obsequio et modestia amabiles, qui succrescentes in spem patriae aliquando ecclesiae ac civitati praesidio et ornamento futuri sint et utriusque salutem tum rectissime augeant, tum felicissime conservent.

FRIDERICI IACOBS

EPISTOLA DE GYMNASII GOTHANI HISTORIA *).

Meministi, Vir clarissime mihique amicissime, quum ante hos aliquot menses in amoenissimo suburbano Tuo, collegis et amicis assidentibus, diem variis sermonibus conderemus, mentionem etiam iniici saecularis festi, hoc ipso anno in gymnasio Gothano celebrandi; Teque, qui Tuus est erga me animus, in illa solemnitate aliquod voluntatis vocisque meae documentum requirere. Facile, quod volebas, a me

*) Scripta ad *Frid. Guil. Doeringium*, gymn. Goth. directorem, et edita ibid. a. 1824, paucis autem mutatis ad me transmissa ab scriptore cl. Fr.

impetrasti. Tantum enim semper apud me valuit voluntatis Tuae significatio, ut, si vel maxime cuperem, non tamen ei non obtemperare possem; et in hac quidem re tantum abfuit, ut obsequium Tibi denegare vellem, ut animus meus etiam sponte ad id, quod requirebas, suscipiendum ferretur. Magnus est meus, quod nosti, altisque radicibus pectori meo inhaerens amor gymnasii, cui Tu summa cum laude praees; quippe in quo, *Geislero* et *Strothio* ducibus, ad limpidissimos Musarum fontes sum admotus; postea vero literas, quibus ibi imbutus fueram, per duos et viginti annos pro virili mea parte tradendas suscepi. Huius amoris mei et alibi significationem dedi aliquam*), neque unquam omittam dare, quotiescunque eius rei oblata fuerit opportunitas. Iam quum nulla facile cogitari possit alia illustrior ea, quam festum crastina luce celebrandum allatura est, statui aliquid ad Te scribere de recenti gymnasii historia, cuius Tu ipse pars magna es; (quare vix fieri poterit, quin Tuum nomen, vir praestantissime, Tuaque laus utramque huius scriptionis paginam occupet); ita autem ad Te scribam, quasi Tecum in exedra sedens, ubi senes cum senibus colloqui solent, sermonis, cuius nulla aetas est avidior, voluptate ducti. Age igitur, si quid Tibi a festi, quod iustat, apparatione superest otii, mihi otioso aures praebe paulisper, dum superiorum temporum memoriam recolo, Tibi, quae et ipse puer vidi, et quae a senioribus accepi mentione haud indigna, narraturus; hoc praesertim consilio, ut veteribus cum iis, quae nunc sunt, compositis et comparatis, quanto-

*) In orat. inserta libro, cui titulus: *Vermischte Schrift*. Vol. I. p. 87. ss.

pere haec nostra illis praestent, quantoque maior sit Tua quam eorum, quibus Tu successisti, felicitas, clarissime appareat.

Sed dum in hoc argumentum, solemnibus hisce et cum hilaritate transigendis diebus accommodatissimum, mentem oculosque defigo, plurimarum rerum, ut fieri solet, quum commotior est animus, recordatio subit, quae ab eo inde tempore, quo puer gymnasium formandus sum traditus, usque ad hunc auspiciatissimum diem actae et transactae sunt; primum iucundissimae, quae tum per orbem terrarum obtinebat, tranquillitatis et tamquam malaciae; tum vero contra civilium tempestatum, quae, in multis regionibus exortae, gravissimas rerum conversiones ceu fluctus excitarunt. Quas procellas tamquam ex terra malisque carentes ipsi non sine stupore quodam intuebamur; mox easdem opinione citius appropinquantes vidimus. Tum belli per triginta ferme annos extracti furores, exterorum in patria dominatio, Germaniae servitium, deinde iugum communi bonorum omnium conspiratione de cervice depulsum, libertatis recuperatae spes laetissimae, novae deinde curae et sollicitudines. In hac autem tot tantarumque rerum recordatione, hoc prae ceteris animum advertit, quod in gravissimis illis tempestatibus parvum hoc, quo vehimur, navigium, cum singulari quadam summi numinis favore et benignitate, tum eorum, qui ad clavum sedebant, prudentia, nunquam ita fluctibus sit obrutum, ut mergeretur cursumque tenere non posset, neque ita in scopulos actum, ut frangeretur. Ac per totum hoc tot annorum, quantumvis turbulentorum, spatium nullum fuit tempus, quo Principes, qui hisce terris nunquam non optimi contigerunt, publicam iuventu-

tis institutionem negligerent; aut quo non potius summa cura et sollicitudine cum universae huic rei, tum gymnasio imprimis Gothano prospicerent, cuius honore et incrementis haud aliter gloriari solebant, quam boni parentes carissimorum sibi liberorum felicitate atque successibus. Recordaris, v. cl., illius diei, quo divus *Ernestus*, in aulicorum comitatu, in gymnasium venit, publico discipulorum ad universitatem discedentium examini interfuturus*); et alterius illius, minus tamen priore illo laeti et sereni, quo *Augustus Aemilius* patris exequiis in gymnasii auditorio orationibus celebrandis adesse dignatus est. His rebus plurimisque aliis, quae postea secutae sunt, scholae honorificis, ad litterarum autem splendorem et magnificentiam fructuosis, dum mente et cogitatione immoror, non possum quin mihi gratuler, quod hunc gymnasii splendorem praesens specto, quod saeculari eius festo intersum, quod denique, id quod longe est exoptatissimum, ex collegis, quibuscum olim coniunctissime vixeram, plurimi supersunt, nec supersunt tantum, sed viribus, honore, laudibus florent. Inter hos, Tu, *Doeringi*, vir praestantissime, ob muneris amplitudinem, aetatis gravitatem, annorum denique, quibus muneris societate iuncti fuimus, numerum, principe loco censendus venis; proximum tenet *Kriesius*, vir experientissimus, et utrique nostrum a longo inde tempore amicissimus, quem crastinae lucis solemnitatis oratorem Tecum est coniunctura**). Si

*) Res commemoratur in historia gymnasii Gothani, auctore *Schulzio*, p. 297. s. libro bonae frugis plenissimo.

**) *I. M. Gesnerus* in epist. ad *Ch. Henr. Geret*, civitatis *Torunensis* sacrorum antistitem, quae legitur in eius Opusc. T. I. p. 113., Io. *Albin. Kriesium*, *Friderici* nostri

rara est felicitas, in festo, quod non nisi semel per saeculum recurrit, pompam ducere, idque in gymnasio inde a trecentis annis fama et frequentia florentissimo; rarior etiam, in tali festo cum tali viro vota vocemque coniungere, stipantibus et assidentibus collegis eruditissimis, praesente etiam sene optime merito, *Io. Geo. Aug. Galletti*, viro celebratissimo; in iuvenum denique florentissimorum coetu, quem maiorem in his moenibus vix ulla alia vidit aetas; rarissima denique, laetissimi huius honoris auctorem et parentem merito praedicari; nonne Te, *Doeringi*, prae multis aliis, qui huic muneri superiore tempore praefuerunt, et nunc in aliis scholis cum laude praesunt, eximium quendam fortunae fautricis favorem experiri fateris? In quam rem quo magis mentis aciem intendo, eo magis mihi persua-deo, Te plurimos vv. dd., qui quidem in eadem aut simili conditione sunt positi, felicitate ita praecurrere, ut paucissimi tantum per omnem aetatem reperiri posse videantur, qui Tuam *εὐδαιμονίαν* exaequent, nullum fortasse, qui eandem superet. Quod ut ego Tibi quoque persuadeam (nam plurimi homines, nescio quomodo, omnia alia credunt facilius,

Kriesii patrem, quem, ad rectoris munus Torunum vocatum, civibus amplissimae huius urbis egregie commendabat, ita descriptum et adumbratum dedit, ut in patris imagine filium summa cum voluptate agnoscamus. Inter alia de descriptione quadam *Kriesii* sui agens, *sanum quiddam, ait, et sobrium, et exquisitam accurationem deprehendere mihi in hac descriptione visus sum, quod ipsum proderet, nisi aliis quoque indicis mihi constaret, animum in doctrina solida minime desultorium, sed constantem et gravem et acrem atque in omnes partes attentum i. e. talem, qui etiam has virtutes levi aliquantum per naturam suam adolescentulorum aetati commendare exemplo suo et institutione queat.*

quam se beatos esse) aut potius, ut Tibi, cur ita mihi persuasum sit, demonstrem, age, per singula eamus, et, quod ab illa solemnitate, cui haec scriptio quodammodo praeludit, minime abhorret, Te, cuius praeconio indicta est, cuius eloquentia illustrabitur, tamquam exemplar senis beati conspiciendum proponamus.

Solet autem, quum de felicitate hominis agitur, primum hoc quaeri, quo in loco et inter quos homines vivat; tum, in qua sit conditione positus; tandem, si in utroque fortunam fautricem est expertus, qua mente opportunitatibus ipsi oblatis utatur. Iam quod ad primum attinet, in ea urbe habitas, quae inter mediocres Germaniae urbes non mediocri felicitate gaudet. Nam si quis, ut Cicero loquitur*), Pacuviano illo *invectus alitum anguium curru, multas et varias gentes et urbes despiciere et oculis collustrare possit*, multasne reperiatur, quae pro suo modulo plures ad literas et artes opportunitates offerant, pluresque sinu cives foveant, qui oblatis his commodis bene et prudenter utantur? Quantum autem hoc est, in ea urbe vivere, in qua cum literarum studiis libertas coniuncta est talis, qualem sibi omnes boni contingere optent; leges coluntur, magistratus observantur, iustitia omnibus sanctissime administratur, mores ad elegantiam exculti et expoliti spectantur, et, quae hac aetate non minima laus est, mediocritas illa dominatur, in qua Peripateticorum sapientia virtutis solium collocavit**). Unde quam egregii fructus efflorescunt! Temperantia, sobrie-

*) In reliquis libror. de Republ. III, 9. ab A. Maio ex palimpsesto Bibl. Vatic. felicissime erutis.

**) Ad hanc doctrinam respexit Horat. Ep. I, 6, 15. Id. I, 18, 9.

tas, modestia, patriae amor, et aequus ille animus, qui, praesentibus contentus, quantum a cupiditatum furoribus, tantum a temeritate et proterva licentia abhorret. Hinc fit, ut libertatis quidem simus studiosissimi, eamque oblatam amplectamur et foveamus; neque tamen unquam divinum hoc divinae providentiae munus apud nos fanaticis furoribus aut importuno novarum rerum studio in discrimen adductum sit; et si qui forte tales ad nos venissent, qui violentis rerum conversionibus mente et animo faverent, hi experti sunt id, quod *Isocrates* de Areopago praedicat, si quis forte civis improbis moribus in hoc concilium esset allectus, cum brevi tempore ita animo immutatum esse, ut ex malo et improbo bonus et frugi civis fieret. Quae res quantam vim habeat ad gymnasii disciplinam, deinde dicam; nunc ad alia progredior.

Meministi fortasse, vir amicissime, quum ante hos XVII annos Monachium abiturus gymnasio urbiq; patriae valedicerem, me publice profiteri, nullius generis hominum laetiozem mihi beatiozemque videri sortem semperque visam esse, quam qui iuventuti literarum studiosae erudiendae formandaeque operentur *). Idem nunc omnes Tuo exemplo confirmatum comprobatumque videmus. Nam ut nihil dicam de beata illa et quieta vitae ratione, quam optima studia ita praestant, ut, qui in iis ver-

*) Aliter de eadem re sentiebat vir magnus, *Ph. Melancthon*, cuius or. exstat *de miseris paedagogorum* in declamatt. p. 142. ss. ed. Argent., et in selectis oratt. a *Friedemann* editis Vol. I. p. 64. ss. Hanc, ni fallor, ante oculos habuit atque refutandam sumpsit *Gesnerus*, in libello, quem *de felicitate docentium in scholis* compositum (Opusc. T. I. p. 59.), nemo sine voluptate leget.

sentur, Epicuri diis quodammodo videantur *similia*, nec, quod Cato verissime profitetur apud *Ciceronem*, intelligant, senectutem ipsis obrepere; quid, *quæss*, iucundius et honesti ingenuique animi viro dulcius, quam quotidie circumflui examine puerorum ex magistri ore pendentium, amorem ei et reverentiam verbis factisque significantium, praeceptis eius gaudentium, voluntati atque optatis ultro occurrentium? Quae Tibi omnia a longo inde tempore tam egregie contingunt, ut neminem noverim, ad quem maiore quam ad Te iure referri possint Callimachea haec:

γηράσκει δ' ὁ γέρον κείνος ἐλαφρότατα,
Κοῦροι τὸν φιλέουσιν· ἐὼν δέ μιν οἷα γονῆα
χειρὸς ἐπ' οἰκείην ἄχρῃς ἄγουσι θύρην*).

Quid? quod plurimi, qui Te pueri praeceptorem et magistrum venerati sunt, nunc viri facti cum reverentia diligunt; inter quos haud pauci, generis nobilitate, honorum splendore, doctrinae omnis generis laude conspicui, sibi gratulantur, quod Te in literarum virtutumque stadiis ducem nacti sint. Ut autem libri, quos in lucem emittis eruditissimos, per omnes terrarum partes, quibus Musis litatur, studiose leguntur, a librariis cupide expetuntur, typis iterum iterumque exscribuntur; ita nulla fere est Germaniae regio, quae non vivos et spirantes lan-

*) Servati hi ex elegia versus ap. *Stobaeum*, Flor. p. 585. minus recte ad *αἴρια* relati in collectione Bentleyi. *Fragm. XI*. Vid. *Valckenar.* in *Callim. eleg. fragm.* p. 203. Versa ab *Hug. Grotio* *Callim. disticha*:

*Ille senectutis tempora laetus agit,
Aetas quem puerilis amat, velutique parentem
Deducunt iuvenes limen ad usque manu.*

Expressit h. l. Cicero in tessellato illo de senect. libello 8. *levior fit etc.*

dum Tuarum praecones alat, qui, hanc Musarum, in qua ipsi formati sunt, officinam cum desiderio respicientes, saepenumero filios quoque suos in studiorum incude ponendos*) ad eam deducunt, aliisque, ut suos eodem mittant, auctores fiunt. Quod autem ex remotissimis Germaniae vicinarumque terrarum regionibus discipuli affluunt, ita ut moenia florentissimae iuventutis copiam vix capiant, id non solum doctrinae Tuae debes et in docendo sollertiae, sed aliis etiam virtutibus, cum civitatis huius moribus civiumque indole et ingeniis arctissime coniunctis, comitatem dico, illamque in sentiendo et iudicando sobrietatem, ex qua prudentia et temperantia nascitur. Huic sobrietati, quae Tibi cum collegis communis est, magis haud dubie, quam fortunae cuiusdam favori debetur, quod in tanto iuvenum numero ne unus quidem inventus est, qui occultis illis *ἐταιριαιῖς* et sodalitatibus, de quarum, stolidis dicam an furibundis? machinationibus diaria politica per plures iam annos resonant, nomen dederit, aut de ea re saltem in suspicionem vocatus sit. Unde non solum, quod obiter addo, disciplinae in gymnasio Gothano bonitas, verum etiam hoc elucet, si qua alibi scelera meditati sunt pueri, id cuivis alii causae potius, quam dicendi docendique libertati tribuendum esse, quae libertas in nostris terris scholisque nunquam non servata est, quamque, si Deus

*) Auctor. Dial. de Orator. 20. *Iam vero iuvenes et in ipsa studiorum incude positi* etc. ubi nemo, quod sciam, interpretum graecum locationis fontem aperuit. Versus bene formatos *ἐν Πιερίδων ἀκροσὶ χαλκευτοὺς* dixit *Antipater Thessalon.* in Anth. Pal. VII. 409. Linguam in *veritatis incude formari*, *Pindar.* iubet Pyth. I. 86. ubi vide praeclarum interpretem T. II. 2. p. 238.

nobis, ut fecit, etiam in posterum favebit, integram et inconcussam mansuram esse confidimus*).

Ut autem in praecipua quadam felicitatis parte ponendum est, si cui, ut inter homines liberales literisque exultos vivat, contigit, ita imprimis beatus

*) Libertatis nomen quum hac nostra aetate gravi invidia laboret, haud maiore iure, quam si quis religionem christianam ob plurima et saevissima, quae sub eius specie commissa sunt scelera, odio velit persequi; lectores remittimus ad ea, quae Heynius (Opusc. T. I.) ante hos sexaginta annos *de veris bonarum artium literarumque incrementis ex libertate publica*, dixit, plaudentibus omnibus, qui de his rebus iudicare poterant, *Munchusio* etiam, at quanto viro! et si quis erat *Munchusii* similis. Quanto autem vir idem doctiss. libertatis amore flagraverit, cum multis aliis in locis, tum haud scio an nullo alio disertius significavit, quam in *Or. in solemnibus parentalibus Munchusio celebratis* (Opusc. T. II. p. 420.) habita. Quaedam inde excerptisse iuvat. Postquam Georgiam Augustam tamquam sanctam libertatis parentem salutavit, sic huius divinae commemoratione tamquam incensus et inflammatus pergit: *Huius libertatis cogitatione animum meum curarum laborumque assiduitate fractum saepe recreare soleo. — Hoc quidem bono contineri video, quicquid ceteris vitae bonis dulcedinem veram et plenam iucunditatem affundere potest: et hoc bono erepto ceterorum bonorum omnium fructum, studiorum illecebras, ingenii fomenta, ingenuam doctrinam, sapientiam, veritatem, ipsam humanitatem eripi. — Homini sobrio ac generoso miseria cogitari maior potest nulla, quam animi sensus, ingenii inventa, mentis iudicia, metu aliorum, quorum obtusum acumen et ipse et sanus quisque rideat, dissimulare et occultare, aut si quid dentium claustra perruperit, pusillorum animorum et ingeniorum odia suscipere, in religionis ac pietatis malam suspicionem adduci. De Georgiae Augustae fortuna, Deus omen avertat, nunquam equidem metuum; sed ut metuum, habere me arbitror tum, si qua mala fraus hominis hanc nobis Aegidem, hoc Palladium eripuerit. Non deerunt ingenia praeclara et ornata, non deerit honesta industria; modo nulla auctoritas in formulas ac verba aliorum iurare cogat. — Praeclara verba, quae, aureis literis consignata affixa videre velis in quovis collegio, ubi de scholarum et universitatum salute agitantur consilia.*

est dicendus, cui ephori obtigerunt et collegae, qui, eodem studio incensi, ad id, quod in vita et literis est praestantissimum, contendentes, muneris ipsi impositi onus allevare et possint et velint. Quantum igitur hoc fuit, quod per tot annos *Loefflerum* habuisti gymnasii *πρωτέφορον*, virum gravitate, doctrina, prudentia eximium, qui, quod literis alendis opus esset, optime intelligens, libertatem docendi egregie tuebatur, neque, quod multi faciunt, amplitudinis suae et auctoritatis fructum in imperando, iubendo, vetando, omninoque multa movendo et moliendo, positum esse putabat. Qui quum optime nosset, ingenuum animum discipulis inspirare non posse nisi qui ipse sit ingenuo animo, neque iuventutem ad sentiendi cogitandique liberalitatem adduci nisi ab eo, qui liberali sit et excelso ingenio, vix autem impediri posse, quominus se ad turpem humilitatem sordesque abiiciat, qui, ne fame pereat, vel minimo lucello intentus esse cogatur*); hoc imprimis sibi existimavit curandum, ut professorum stipendia, pro laborum modo nimis exigua, augerentur; quumque summa apud Principes eorumque ministros auctoritate floreret, hanc omnem ad eam rem efficiendam impendit. Quantum autem praeterea gymnasio profuerit, quantum docendo monendoque praestiterit, quot egregios viros gymna-

*) Antequam res de mercede a discipulis solvenda, *Geislero* auctore, rectius constituta esset, magistri statis quibusdam diebus, die natali suo, ad festum S. Ioan. et aliis, munus solebant accipere. Quae res quot iniquitatibus locum dederit, noli quaerere. Erant, qui, tali die appropinquante, neque promissis, neque blanditiis parcerent, ut largius quid et pinguius a pueris elicerent; iidem, spe decepti, in miserorum puerorum terga plagis et verberibus immanem in modum grassabantur.

sio conciliaverit, id nihil attinet scienti narrari, praesertim quum hoc optime factum sit a *Schulzio* nostro, viro praestantissimo, in libello recens edito, quem ea, qua solet, diligentia de historia gymnasii Gothani concinnavit*). Quanta autem postea Tua fuit felicitas, quod, quum *Loefflerus* literis, ecclesiae, gymnasio et Tibi subita morte ereptus esset, prospera fortunae aura afflante, *Bretschneiderum*, virum venerabilem, nactus es *πρωτέγονον*, qui nunc cum maxime viam, *Loeffleri* vestigiis signatam, magna cum alacritate persequitur, eiusdemque exemplum doctrina, moribus, humanitate egregie aemulatur. Sed quod tam praeclari Tibi contigerunt ephori, id magnam partem fortunae munus est; quod autem tot habes amicos, quot collegas, hoc totum Tibi debes. Pars collegarum ex Tua disciplina prodierunt; duo necessitudine Tecum coniuncti sunt; reliquos comitate Tibi conciliavisti; neque ullus est eorum, quin literarum et officii amore, docendi solertia et assiduitate, doctrina etiam et ingenii fama, apud externos sine invidia Tecum aemuletur. In scholastica enim tamquam civitate, *unum debere omnibus esse propositum, ut eadem sit utilitas uniuscuiusque et universorum*, quod *Ciceronis* (Off. III, 6.) est de republica praeceptum, id tam praeclare intelligitis, ut vix aliud reperiatur huiusmodi collegium, a quo livor et invidia tam procul absit. Quare quae saepenumero scholarum etiam bene constitutarum incrementis nocent, magistrorum inter se discordiae et simultates, eae in vestrum coetum non intrant, neque ulla vos *ἔρις* vexat, nisi quae *ἀγαθὴ*

*) V. etiam *Ukertum* in vita soceri, *Loeffleri* Opusc. Vol. I. praefixa, c. 47. et passim.

ab *Hesiodo* (Op. et D. 27) appellata, nullis magis videtur esse commendanda, quam iis, quibus seren- dum est *quod alteri saeculo prosit*. Unde magno cum reipublicae emolumento efficitur, ut res vestrae in dies laetius efflorescant, literarumque studium tanto fervore agatur, ut gymnasii Gothani alumni in omnibus fere, quas celebrant, academiis exquisitio- ris cuiusdam doctrinae laude floreat, ita ut raro annus praetereat, quo non unus aut alter eorum praemio quodam, in publicis literarum certaminibus proposito, ornetur*).

*) Nomina τῶν ἀθλοφόρων inde ab a. 1815 recensuit *Schulzius* noster in *histor. gymn.* p. 295. not. 40. Non minus commemoratione dignum est hoc, quod, qui in gymn. Goth. ad humanitatem formati sunt, etiam moribus et modestia in academiis conspiciuntur. Quare de his quidem dicta esse non possunt verba *Plinii* Ep. VIII. 23, 3. ubi de sae- culi sui adolescentibus conquestus, *quotusquisque*, ait, *vel aetati alterius, vel auctoritati, ut minor, cedit? Statim sapiunt, statim sciunt omnia; neminem verentur, imitan- tur neminem, atque ipsi sibi exempla sunt*. Quae verba, una cum simili loco *Senecae*, diaria, quae res novas per orbem terrarum gestas narrant, nuper excitarunt, tam- quam iis iuventutis studiosae, qualis nunc est, indoles at- que ingenium adumbretur. Solent enim illarum charta- rum nonnullae, ut morosioribus et tetricis superioris aevi laudatoribus placeant, omnia corradere, quibus florentissi- mam Germaniae iuventutem apud nostros in odium, apud externos in contentum adducant. Esse nonnullos, qui sto- lida arrogantia peccent, non nego; sed quae tandem aet- as tales non genuit? Contra longe maximae iuvenum hu- ius saeculi parti accommodari possunt eiusdem scriptoris de Avito iuvene verba, quae ibi continuo leguntur: *Sed non Avitus: cuius haec praecipua prudentia, quod alios prudentiores arbitrat; haec praecipua eruditio, quod discere vult*. Ceterum qui iuventutis nostrae perversita- tem, si qua est, incusantes, eam, quod hodie a multis fieri video, ad libertatis nescio cuius abusum referunt, legant illi, quaeso, quae ante hos CC et quod excurrit annos *Wilckius*, rector meritis. (in *Suada Wilkiana* Or. VIII. p.

Clarius autem, vir praestantissime, felicitatis Tuae ratio, simul cum fontibus, unde magna eius pars profluxit, apparebit, si tempora, quibus Tu ad munus rectoris capessendum huc es arcessitus, accuratius perpenderimus. Incidit enim rectoratus Tuus in ea tempora, quibus certius et melius quam unquam antea intellectum est, quanta in liberali iuventutis institutione vis sit ad mores formandos et ad augendam adeo civitatum felicitatem, quae tota in moribus est posita; liberalem autem quam dicimus institutionem nullam esse, nisi quae literas, quibus humanitatis disciplina continetur, ob ipsam rei praestantiam et magnitudinem, non ob lucellum aliquod et vilia praemia appetendas esse doceret. Hoc, quod hodie nemo est paulo cordatior, quin ita animo teneat, ut aliter sentiri posse vix credat, nobis pueris, a multis, qui se prae ceteris sapere existimabant, parum perspiciebatur. Erat enim vulgaris opinio, illas literas, unde verus et ingenuus vitae fructus capitur, ad rem publicam parum esse fructuosas, quique iis operam navarent, umbrae scholarum relinquendos esse. Exiguus tum erat in hac urbe eruditorum hominum numerus, nemo fere, qui literis et doctrina excelleret, et si quid esset literarum et humanitatis, id in principis aula habitabat, idque non ex antiquitatis, unde par erat, fontibus, sed ex recentiorum, Franco-Gallorum imprimis, *Dacierii*, *Rollinii*, *Voltarii* et similium rivulis haustum et derivatum. Quid mirum igitur, si aut omnes aut plurimi puerilem et scholasticam in-

147. Or. XIII. p. 309. et aliis locis (Cf. *Schulzii* hist. gymn. p. 92. s.), et LX annis ante eum *Ph. Melanchthon* (*Declam.* p. 143. et p. 149 ss. et in select. Oratt. Vol. I. p. 65. s. et p. 71. ss.) de adolescentulorum licentia conquesti sunt.

stitutionem unice ad sordidam aliquam utilitatem referrent, hominesque, qui huic negotio operam dabant, tamquam umbraticos et mercede conductos contemnerent? Hinc factum, ut, neglecta eorum, qui hanc scholam saeculo decimo sexto prudentissimo consilio fundaverant, via et ratione, latissimus scholasticae institutionis campus in arctissimum gymrum contraheretur, ita ut praeter sermonem latinum, arithmeticae tantum fere quantum ad rationes accepti et expensi suffecerit, et tenuem quandam historiae universalis speciem, nihil fere traderetur pueris, nisi forte graecae et hebraicae linguae rudimenta, nec haec omnibus, sed futuris tantum theologis. Graeci enim sermonis studium, non ut hodie, ob singularem eius praestantiam, scriptorum qui eo usi sunt virtutes, antiquitatis denique cum eo coniunctam scientiam commendabatur, sed ad hoc unice referri solebat, quod ad Novi Testamenti codicem utcunque interpretandum faceret; nec latinum sermonem ob aliam quandam causam, quam ob multiplicem in forensibus aliisque negotiis usum, addiscendum esse existimabant. Quod si quaeras, quomodo factum sit, ut literae in hac civitate nostra, et in schola imprimis ad tam miseram conditionem deprimerentur, hoc praecipue in causa fuisse suspicor, quod iis temporibus, quae nostram aetatem praecesserunt, longe maxima studiorum pars relata fuerat cum ad theologiam, et quidem ad eam eius partem, quae se in discrepantium opinionum disceptatione et confutatione iactat; tum ad dialecticam, quae disputantibus et pro *Lutheri* doctrina, id est, pro aris et focus, digladiantibus arma suppeditaret. Ut tum res erat, illa fortasse institutionis ratio, quantumvis perversa, excusari quodammodo poterat;

neque minus tamen certum est, nihil facile reperiri posse, quod, non dico ad ingenia formanda sit ineptius, sed quod verae sinceraeque religionis radices certius ex puerorum animis evellat, pietatisque fibras et semina extinguat et elidat, quam steriles illas et spinosas de rebus inexplicabilibus controversias. Dixerit fortasse aliquis: at disputationes illae de rebus gravissimis susceptae puerorum ingenia acuebant et tamquam irritabant; praeterea autem, quid verum esset in opinionibus de rebus divinis, quid falsum, disceptando et disputando in clariore luce ponebatur. Qui insignis est error. Quid enim, quaeso, dialecticis illis exercitationibus ad verum investigandum effici potuit, quum discipulis, non magis quam magistris, non liceret, ab Augustanae Confessionis Formulaeque Concordiae rigidis statutis vel latum unguem discedere? Et quid tandem tot tamque acribus disputationibus, quae superioribus saeculis non a pueris et tironibus, sed a gravissimis doctissimisque theologis ad componendos in ecclesia tumultus habitae sunt, ad eliciendam stabiliendamque veritatem erroremque latentem investigandum et exstirpandum effectum est? Nihil omnino. Neque aliter evenire potuit. Gladiatores enim ad eam rem compositi, diu antequam in arenam descendissent, apud animum suum constituerant, quid pro vero falsoque habendum esset; et si quis eorum a praecepta opinione voluisset recedere adversarioque veriora dicenti concedere, id ipsi vix licebat facere ob imminens suarum partium odium, adversariorum autem contemptum et irrisionem. Quod egregie intelligebat vir eximius, *Ph. Melanchthon*, quem post plurimas, quibus interfuerat, de doctrina christiana stabilienda disputationes,

adeo earum taedebat, ut se servum malle ad remum alligari diceret, quameiusmodi colloquiis interesse *). Quod autem ad alterum attinet, quod dicunt, illa certamina ingeniis acuendis inserviisse, id ut non omnino nego, ita multo magis tamen stolidam per ea et inanem arrogantiam in puerorum animis excitatam fuisse contendo, coniunctam illam cum vanissima magniloquentia, aliterque sentientium contemtu et odio. Quare minime mirari debemus, quum illa aetate, quae ingenia ad theologicas imprimis controversias acuebat, largissimam segetem pullulasse videmus eorum hominum, qui, ut *Epictetus* (Gell. I, 2.) loquitur, *atra verborum et argutiarum fuligine ob oculos audientium iacta, sanctissimae disciplinae nomen animo moribusque ementiebantur*, locutuleiorum et blateronum.

Sed redeundum est ad id, unde digressus sum. Quid in sana institutione scholastica sequendum esset, non latebat *Geislerum*, disciplinae in gymnasio instauratorem, quippe cui *Ernestius* viam ad id, quod in literis expetendum esset, demonstraverat; nec latebat *Geisleri* successorem, *Fr. Andr. Strothium*; sed neutri eorum fructus laborum, pro instaurandis bonis literis susceptorum, ferre, talemque gymnasii splendorem videre contigit, qualem hodie, *Te, Doeringi*, ad eius clavum sedente, singulari cum voluptate videmus. Sed de utroque horum virorum singulatim agamus. Et *Geislerus* quidem qualis vir fuerit, non attinet Tibi, mi *Doeringi*, narrare, qui, eo patrono atque amico usus, viri exi-

*) *Fecht* Suppl. Hist. eccl. P. II. p. 90. *Thuan.* Hist. L. XXXV. colloquia, quae, ut theologis controversiis finis imponatur, maiorum saepe excitandarum initium existunt.

miam probitatem, animi candorem, et indefessam in officio exsequendo assiduitatem complurium annorum experientia edoctus cognovisti. Ipsum audivisti narrantem, ad quam miseram conditionem gymnasium delapsum invenerit, quam desertum quamque neglectum; ita ut nemo fere, nisi pauperiores, aut qui, de filiorum salute securi, hoc unum spectabant, ut mercedi parcerent, pueros in scholam publicam mitteret; quantisque ipsi difficultatibus fuerit conflictandum, quum discipulos ad meliorem frugem adducere, parentibusque turpem socordiam excutere conaretur. A nulla autem parte magis laborabat quam a collegarum, quos primos habebat, iudicio et voluntate. Erant inter eos, qui, ut citius e scholae ergastulo exsolverentur, clepsydram, ad quam tum docendi tempus metiebantur, clam concuterent, idemque quum a discipulis fieret, se videre dissimularent. Erant alii, qui horas ad animos moresque humanitatis disciplina formandos destinatas inhumanis clamoribus et conviciis perderent; alii denique, qui, dum discipuli divina *Horatii* carmina, aut *Virgilii* epos interpretabantur, libro capite incumbentes suavi sopori indulgerent. Quales sub talibus magistris discipulorum mores, quam exigui in literis profectus fuerint, noli quaerere. Sed de his postea. Nunc hoc dicimus: *Geislerum*, quum scholam tamquam sordibus et squalore obrutam accepisset, neque viribus parceret, ut eam ad laetiores cultum adduceret, non solum eorum, quorum maxime intererat, ut literis honos suus restitueretur, voluntate destitutum fuisse, verum hos ipsos innovationum suarum (invidiosum enim nomen inurebant iis, quae vir optimus optimo consilio moliebatur) acerrimos adversarios esse expertum. Me-

mini inter alia, quum de difficultatibus quereretur, quae ipsi in graeci sermonis turpiter iacentis studio excitando non tam a discipulis, quam a parentibus et ephoris obiicerentur, quantopere ipsi laborandum fuisset, ut exiguas literarum scintillas sub cineribus latentes suscitarret. Erat tum inter ephoros gymnasii vir quidam spectabilis, qui pro erudito habebatur, quod paulo maiorem quam ceteri latini sermonis usum habebat. Hic vir, literarum graecarum rudis, et, ut fit, alieno ab iis quae ignorabat animo, quum accepisset, *Geislerum*, ut discipulos sensim ad graeci sermonis fabularumque graecarum cognitionem adduceret, in suprema gymnasii classe *Palaephathi* Incredibilia explicare, non erubuit in eo collegio, quod in terris nostris rebus scholasticis praeest, collegis suis, viris gravissimis, assidentibus, virum optime meritum ob illud facinus scilicet graviter reprehendere; caussa etiam adiecta, quod *Palaephatus* scriptor esset nimium difficilis. Vix decem annis post hic scriptor pueris infimae classis oblatus est legendus, nec multo post tempore horum quoque manibus excussus, melioribus libris locum dedit. Aliud addam. Saepenumero *Geislerum* audiui narrantem, quum diceret, se aliquando in supremum principis consilium fuisse vocatum, ut rerum a se novatarum (*recentatas* dixissent rectius) rationem redderet. Quod quum diserte et perspicue fecisset, unus ministrorum, vir amplissimus, sed parum doctus, digito sublato, tamquam moniturus errantem, cave, cave, ait; cives Gothani talia non ferunt aequo animo! Quasi rectori scholae, aut qui praeterea puerili institutioni praesunt, magnopere curandum sit, quid tunicatus popellus in cauponis et ganeis de humanitatis disciplina blaterent

et delirent! Haec et alia huius generis, quae narrare possem, eiusmodi sunt, ut Tibi, *Doeringi* doctissime, collegisque Tuis magis etiam quam illa impexae antiquitatis commenta, quae *Palaephatus* sibi refutanda sumsit, Incredibilia videri debeant. Sed sic tunc vivebant homines, in tenui illo nebulisque obscurato lumine ne suspicantes quidem, quantum quamque illustrem lucem proxima aetas cum universae institutioni puerili, tum gymnasio nostro accensura esset.

Post undecim annos, quibus gymnasio praefuerat, *Geislerus*, impedimentorum pertaesus, quae ipsi ab omnibus partibus obiiciebantur, reliquit scholam, cui plurimum profuerat, magisque etiam sine dubio profuisset, si per ipsum stetisset*). Tum *Strothius* Quedlinburgo arcessitur. Huius viri ad nos evocandi consilium qui dederit, ignoro equidem; sed quisquis ille fuerit, scholae divinitus consuluit. *Strothius* in *Semleri* scholis, quibus una cum *Schützi*, quem ho-

*) Aliquid utilitatis et splendoris adeo ad gymnasium redundavit inde, quod *Geislerus* sibi principis hereditarii, qui postea *Ernestus* II. fuit, voluntatem conciliaverat. Divo principi primum ob hanc causam fuerat commendatus, quod non solum quod ante pedes esset, spectandum, sed coeli quoque plagas sibi scrutandas censeret, ut *Ennius* loquitur a. *Cicer.* de *Div.* II. 13. Quanto hic princeps eum amore complexus sit, utque hunc amorem usque ad vitae exitum foverit, narraui in *Vermischt. Schrift.* Vol. I. Cf. *Schlichtegrollii* *Necrologum* a. 1800. T. II. *Schulze* *Gesch. des Gymn.* p. 264. Ceterum *Ernestus* II. cum ex divina animi sui indole tum *Geisleri* monitis adductus, exsequebatur legem praestantissimam a *Constantio* et *Juliano* promulgatam, servatamque in *Cod. Theodos.* XIV. 1. 1. ne *literaturae*, quae omnium virtutum magistra est, praemia denegentur, eum, qui studiis et eloquio dignus primo loco videbitur, honestiorem faciet nostra provisio.

noris caussa appellamus, quique ex *Strothii* aequalibus hodie solus superest, diuque ut supersit, optamus, et cum *Griesbachio*, universitatis Ienensis olim decore et ornamento, interfuerat*), simul cum theologiae verae et sincerae amore, historiae scientiam penitus imbiberat, et cum utraque disciplina interiorum graecarum latinarumque literarum cognitionem coniunxerat. Erat in eo ingenium excellens, iudicium acre et subtile, memoria autem ita tenax, ut eorum, quae semel legisset audivissetque, vix quidquam efflueret. Accedebat ad haec insignis quaedam facundia, morum elegantia haud vulgaris, mitisque animi humanitas, quae, ex vultu eius oculisque elucens, omnium, quibus placere vellet, iuvenum et senum, virorum mulierumque animos facile capiebat. In gymnasio itaque brevi admodum tempore discipulos adeo sibi devinxit, ut, qui *Geisleri* discessum aegerrime tulissent, fateri non dubitarent, *Strothii* virtutibus prioris magistri desiderium egregie leniri. Non sine voluptate recordor scholarum, quas in bibliotheca gymnasii extra ordinem habere instituit, praesente delecto discipulorum numero, quos ad librorum cognitionem adduceret. Initium faciebat a sacro codice, cuius editiones nonnullae primum tum locum in bibliothecae forulis tenebant; disserebat de praestantissimis bibliorum editionibus, de polyglottis, de commentatoribus ceteris praeferendis, de critica denique sacris libris adhibita aut adhibenda. Tum pergebat ad patres, qui proximi loco erant; vitaeque eorum,

*) Haec non satis accurate esse tradita, *Schützius* me per litteras monuit. Cf. eius vita a filio scripta. T. I. p. 351. sq.

quorum opera ad manus erant, breviter enarrata, specimina quoque locorum ex uniuscuiusque scriptis proponebat, simulatque evolverat librum, graeca verba in patrium sermonem convertens. Erat enim in *Strothio* magna ingenii celeritas, quae etiam in parvis et minutis rebus elucebat; in gravissimis autem ei id, quod opus esset, facile suppeditabat. Quam egregii viri virtutem ii, qui tum apud nos rebus scholasticis praeerant, non satis videntur perspexisse. Memini aliquando unum ex venerabili illo collegio me praesente narrare, examine discipulorum, qui in universitatem dimitti postulassent, instituto, quum reliqui professores adessent, unum, qui mathesin docebat, valetudinem excusasse. Tum *Strothium* se sponte obtulisse, dicentem, se absentis magistri partes suscipere, vicemque eius de mathesi interrogando implere velle. Tum omnes miratos esse, verentes scilicet, ne *Strothius* nescio qua levitate et inconsiderantia professus esset, quod praestare non posset; erectosque expectasse, quomodo se ex his salebris expediturus esset. At illum praeter omnium opinionem tanta cum perspicuitate tantaque elegantia suscepto negotio satisfacisse, ut nemo iam absentis magistri doctrinam officiumque requireret. Res minime mirabilis in tali viro, nec tanto stupore digna; sed hoc mirabile, rei scholasticae praefectos *Strothii* ingenium atque doctrinam ita non habuisse perspectam, ut, nisi quae discipulis quotidie inculcaret, ea illum tenere non crederent; prudentiamque viri, quae in eo plane singularis erat, eosdem ita non intellexisse, ut eum se ultro difficultatibus immittere arbitrarentur, ex quibus se expedire non posset. Addam aliud promptae eius in docendo copiae et facultatis documentum. Aliquando

quum professor, qui in classe selecta historiam universalem solebat tradere, discipulis iam congregatis, nuntium misisset, qui eum ob subitum quoddam impedimentum excusaret, *Strothius* vicibus eius functurus, quum auditorium ingressus esset, ex discipulis quaesivit, in quonam capite compendii (*Schroeckhianum* erat) magister substitisset. Quod quum ipsi a discipulis indicatum esset, statim, sicut erat, vix oculis in librum coniectis, universam rerum tradendarum seriem tam disertis verbis tamque lucido ordine enarravit, ut eum in historia profana non minus quam in sacra habitare appareret.

Accedebat ad has *Strothii* virtutes etiam haec, quae non infima est earum, quibus boni rectoris officium et praestantia censetur, quod ingeniorum esset existimator perspicacissimus. Iam quum in puero aliquo studiorum cupiditatem ardoremque discendi animadvertisset, ita ut bene de eo sperari posse existimaret, nihil antiquius habuit, quam ut ingenii in eo scintillas excitaret, quaeque in animo eius laterent felicitis naturae semina, ea foveret atque proliceret. Quod non solum docendo efficiebat, sed multo magis et efficacius, quasi aliud agens, per familiaris opportunitatem sermonis. Tales enim facile ad se admittebat; libros, quibus ad studia opus esset, ex instructissima bibliotheca sua commodabat, prudentibus consiliis iuvabat; fervidiora ingenia praeceptorum salubrium tanquam freno cohibens, timidioribus calcaria addens. Saepissime etiam (semel plerumque per hebdomadem) aliquot ex praestantioribus vesperi post coenam ad se invitabat. Tum de literis inter eos disserebat; de novis libris, quos auditorum nosse interesset, commemorabat; quid de his aliisque ad literarum studia

pertinentibus rebus indicaret, libere edebat; assidentesque excitabat, ut, de quo quisque vellet percunctaretur, suamque ipsius sententiam de quaque re expromeret. De hisce consessibus, ad quos invitari et admitti honorificentissimum videbatur, sicut erat, ad doctrinam uberrimis, ad ingenia acuenda moresque formandos fructuosis, et alii dixerunt, et *Lud. Wachlerus*, prof. Vratislav., qui se historiae literarum amorem, cuius praeclara documenta publice dedit, in illis praesertim consessibus, *Noctes atticas* dicas, imbibisse fatetur.

Hic tamen talis ac tantus vir multum abfuit, ut felicitatis, qua dignus erat, fructum perciperet. Nam inter eos, qui praestantissimi viri studia et conatus totis viribus debuissent iuvare, adversarios habebat aliquos, qui falsa quadam de eo opinione decepti, currentem interdum sufflaminabant. Sed de his rebus praestat tacere, quam disertum esse. Nec magis lubet dicere de domesticis, quibus laborabat, procellis, quibusque mox effectum est, ut corpus, non admodum firmum illud, insanabilis vi morbi corripereetur. *Tabes* erat, quam *hecticam* vocant. Nec in ultimo hoc vitae suae actu sibi impar fuit. Quanta tum quoque vultus orisque serenitate colloquebatur cum amicis, qui quotidie ad eum visendum veniebant! quantum etiam lecto affixus literarum amorem significabat! quanta cum sollicitudine etiam tum in amicorum discipulorumque, quibus favebat, res inquirebat, iisque, quantum poterat, consulebat! Solam coeli apud nos intemperiem impatientius ferebat; patrii soli salubritate marisque vicinia vires debilitatas reffectum iri sperabat; in patriam itaque toto pectore ferebatur; medicisque spem illam fomentibus, corpore viribus exhausto,

sed animo alacri iter ingressus est. Non longe abiit. Duodecimo post discessum die in aquis Lauchstadiensibus, a. aetatis XXXVI, VI post munus rectoris susceptum, multis bonis flebilis placide expiravit.

Huic tamen tam gravi vulneri gymnasium Gothanum non succubuit. Singulari divini numinis voluntate, quae tot per annos, ut huic terrae universae, sic etiam scholae favit, factum est, ut *Tu, Doeringi* Numburgo ad nos vocatus, scholae ad famam laudemque surgentis curam susciperes, susceptamque per quadraginta annos ita tuereris, ut iam et docentium praestantia, et discentium frequentia, et disciplinae bonitate omnem superiorum temporum fortunam longo post se intervallo relinquat. Qua in re quid Tuo ingenio, doctrinae, constantiae, assiduitati debeatur, id nunc quidem praetereo; non enim hoc ago, ut laudes Tuas, quae meum proaeconium non requirunt, persequar, sed ut doceam, quanta Tua fuerit in gravissimis rebus, quamque singularis felicitas. De reliquis, quod satis videbatur, diximus; superest, ut de disciplina dicam: quam ante *Geislerum* turpiter prostratam, a *Geislero* erectam, a *Strothio* sustentatam, Tu, v. cl. sicut accepisti, ita servasti, neque servasti tantum, sed emendasti. Verum ut hac quoque in parte felicitas Tua, cum rei scholasticae apud nos felicitate arctissime coniuncta, clarius appareat, age, rem altius repetam, quaedam eorum enarrans, quae aut ipse oculis meis vidi, aut a senioribus fando accepi.

Prostratam ante *Geislerum* dixi disciplinam, non quod nulla esset, sed quod pessima. Duae autem res eam pessumdederant, quae sibi adversari viden-

tur, sed in corruptis et depravatis moribus coniunctae reperiri solent, prava quaedam praeceptorum lenitas, quae peccatis impunitatem, id est peccandi illecebram, tribuebat, et immanis saevitia. Erant enim magistri quidam, qui, aut ob turpem socordiam, aut turpiore etiam lucelli cupiditate commoti, libertatem, qua, quum legibus adstricta temperatur, nihil ad literarum incrementum ingeniorumque cultum uberius, ubi in licentiam convertitur, nihil perniciosius cogitari potest; libertatem igitur, sicut mali et improbi pincernae*), meracam porrigentes pueris, disciplinam everterant. Quod ubi fit, in scholis non minus quam in civitatibus, leges evertuntur, mores, studia, humanitas perit, pudor contaminatur, protervitas et insolentia dominatur. Tum magistri, imbecillitatis suae conscientia, tantum non de loco depulsi, discipulos metuere, pessimo cuique blandiri, secretis artibus agere, delationes fovere, delatoribusque favere, ius aequitatemque pessumdare. Tum cum iniquitate saevitia irrumpit. Illo certe tempore, quod dicimus, si disciplina iacebat, id cuivis alii causae potius, quam poenarum aut lenitati, ab aequitate profectae, aut parcitati, quam prudentia suadet,tribuendum erat. Severa erat disciplina, non bona; ferociebant discipuli, saeviebant paedagogi. Fuste, pugnis, colaphis Musarum res magis quam verbis et praeceptis gerebatur. Orbiliis tunc schola abundabat, non doctis ut ille Horatianus, sed magis quam ille plagosis, qui, quod praesens aetas non sine horrore audiet, nulla re ma-

*) Ducta sunt verba ex divino *Platonis* loco de Rep. VIII. p. 562. D. ubi vid. *Ast.* scholae Gothanae alumnus eruditiss., Universit. Landeshutanae decus.

gis, quam suppliciis, quibus miseros afficiebant pueros, recreabantur; quique se officium non facere posse arbitrabantur, nisi discipulos conviciis et verberibus terrerent; ob quod negotium fustes complures columnos varii ponderis variaequae mensurae habebant ad manus. Audivimus qui narraret, se talem paedagogum vidisse, qui pueros super tabulas et subsellia fugientes solitus esset persequi, donec anhelus, ore rubens, sudore fluens fustem iis impigisset. Tu ipse, *Doeringi*, (*manserant enim adhuc vestigia ruris*,) talem Te vidisse recordaris hominem, senem cerebrosum, qui pueros quartae classis formabat scilicet, brevissimam certissimamque in docendo viam per terga puerorum et lumbos existimantem. A qua saevitia ephorum Tuoque iussu prohibitus, ita ut ei verberandi ius et potestas prorsus adimeretur, meministi, quanta tunc esset eius tristitia, prae moerore, *ut iniquae mentis asellus*, demittentis auriculas, ita ut humilis atque deiectus vitam sibi vix vitalem esse arbitraretur. Forte tum puer ceteris petulantior, et ob speratam impunitatem ferocior, nescio quid delicti commiserat. Res defertur ad iudices; puer ad ferulam damnatur; paedagogus noster poenam ab eo sumere iubetur. Haud facile quis credat, quam subito ille recreatus fuerit; ut vultus ex tetrico et truculento in hilarem et serenum mutatus sit; quanta cum trepidatione fustem, diu in angulo feriatum, puerorum olim terrorem, nunc ludibrium, protraxerit; ut miserum illum nebulonem in locum supplicii rapuerit, et super scamno inclinatum plagis mulcaverit! Hic tamen solus supererat superioris aevi tamquam rudus atque reliquiae; viginti vix annis retro plurimi tales fuerant. Nihil tamen propterea disciplina melior.

Bibl. script. A. I. 2.

‡

Discipuli, cucullis cyaneis, qui saepe flagitiorum lamenta erant, involuti per ganeas vagabantur, viis insultabant, inter se ipsos proelia miscerent. Nihil enim tum frequentius pugnis inter discipulos diversarum classium, ut inter diversos populos, pugnatis. Neque solum tumultuabantur in auditoriis; sed saepe fustibus armati se ante urbis moenia in locum conductum referebant; ibique acie composita (*Enn. ap. Gell. XX, 10.*).

Pellitur e medio sapientia: vi geritur res.

Haud doctis dictis certabant, sed maledictis. — *Vadebant solida vi.* Probe mulcati, saucii, oculos frontemque sugillati domum revertebantur. Quomodo autem hi male feriatorum hominum furores sint puniti, quanta cum levitate, aut stupore dicam, ius sit exercitum, uno exemplo docebo, hodie, ut multa illis temporibus acta, vix credibili, sed *Kaltwasseri*, qui rem mihi plus semel narravit, testis gravis et oculati, testimonio confirmato. Quodam die protephorus gymnasii ad magistrum, qui secundam tum classem regebat, mittit, qui eum iuberet, discipulum illius classis, nomine appellatum, quod noctu per compita bacchatus ancillae protephori multa cum protervitate insultasset, verberibus punire. Respondet paedagogus, se alacri promptoque animo viri magnifici iussa exsecuturum esse. Quid multa? Vix auditorium intraverat, quum ecce in eum, quem sibi designatum arbitrabatur, involat fustemque ei impingit. Puer tam subita verberum procella obrutus, exclamat, se verbera, si commeruisset, non recusare, sed nihil se sceleris, nihil mali admisisse. Tum ille: Et tu etiam musitas, nebulo? et fortius brachia movet fustemque vibrat. Quid quaeris? Plagosus magister simul

irae suae, simul protephori iussibus satisfacit; puer vapulat, frustra deorum hominumque fide implorata. Paulo post protephorus ipse venit; quaerit ex Orbilio, num imperio obtemperaverit? Obtemperavi, respondet ille, sicut par erat, obsequiosissime, et ita nebulonis lumbos dedolavi, ut eum nunquam in posterum simile petulantiae documentum daturum esse confidam; simulque puerum plorantem digito monstrat. Tum ephorus, prompta Orbilii obedientia verbis comprobata, oculos in miserum illum coniicit; miratur; non hunc a se designatum ait, sed alium, aut eodem, aut simili nomine. Quod prius fieri debuerat, ut in hominem atque delictum inquire-retur, id nunc demum serius factum est. Verus reus reperitur; crimen fatetur; poena afficitur. Haec erat illorum temporum disciplinae sustentandae ratio. Quantum diversa illa ab ea, quae nunc non minore aequitate quam lenitate exercetur; raro poenis, plerumque docentium gravitate, exemplo, monitis! Et quam boni tamen discipulorum quamque incorrupti mores! Quanta intra gymnasii parietes, quanta per plateas et vicos incedentium modestia, ita ut illud de Lacedaemoniis adolescentibus subeat, quos *Xenophon* modestia virgines in thalamis nutritas aemulari ait *)! Et si quid forte ab uno aliquo delinquitur, quanta cum sollicitudine, quam religiose in consessu docentium, *synodum* appellant, sed rectius Areopagum appellaveris, singula tamquam in trutina examinantur, perpenduntur, disce-

*) Nobilissimus est locus in lib. de Rep. Laced. IV, 5. αἰδημονιστέρους ἂν αὐτοὺς ἡγήσαιο καὶ αὐτῶν τῶν ἐν τοῖς θαλάμοις παρθένων, ubi *Longinus* π. Υ. IV, 4. in suo Cod. ὁρθαλμοῖς perperam scriptum invenerat.

ptantur, antequam de poena sumenda statuatur! Eadem vero iustitia, eadem aequitas apud vos in decernendis praemiis conspicitur. Tribuuntur iis, qui merentur; indignis negantur. Censentur discipuli, quod in solemni illo gymnasii lustro bis quotannis omnium oculis patet, ingenio, moribus, doctrina, profectibus, non na alium commendatione, non patrum divitiis, non parentum in civitate potentia, auctoritate, gratia. Non enim quaeritur, quo loco quisque natus sit, sed in quo loco virtus eum collocaverit. Quod si, *Cicerone* auctore (de Rep. I, 34.), nulla species civitatis deformior est ea, in qua opulentissimi pro optimis habentur, nulla autem praeclarior et praestantior, quam in qua virtus imperium exercet; quae nam, quaeso, scholastica tamquam respublica praestantior, quae nam fama, qua apud cives et externos fruitur, dignior potest haberi ea, cuius inauguratio proxima luce, omnibus bonis plaudentibus, celebrabitur?

Has omnes res, strictim hactenus recensitas et perlustratas, si apud animum Tuum, clarissime *Doe-ringi*, reputaveris, ipse velim iudices, an non beatissimus existimandus sis, quod rectoratus Tuus in haec tempora incidit, mitigatis et lenitis saeculi ingenio moribus, qui Te tutum praestiterunt ab illis tempestatibus, quae superiorum temporum rectores, viros optime meritos, *Wilckios*, *Vockerodios*, *Stussios*, vehementer exercuerunt? Unum addam. Nonne hoc quoque in felicitatis Tuae parte ponendum est, quod haec gymnasii saecularia Tibi contigit celebrare, duumviris amplissimis ad reipublicae clavum sedentibus, quales sapientiores, peritiores, doctiores etiam et ad omnem humanitatem elegantius excultos, vix alia aetas in gravissimo

munere coniunxit? Quibus duumviris, *von der Beckio et Lindenavio*, si *Trützsclerum* tertium adiunxeris, sociatae nobiscum Altenburgensium terrae praesentem et tutelarem genium, virum generis splendore incertum an ingenii et doctrinae elegantia illustriorem, quem annis et aetate gravem, animo tamen et corpore mirum in modum vigentem laetamur, utque hac felicitate diu fruatur, optamus; si hunc igitur cum nostris illis *σωτήροι καὶ εὐεργέταις* mente et cogitatione coniunxeris, nonne exultas gaudio, quod tales Tibi triumviri, tanquam Hellanodicae aequissimi atque veracissimi, laudum Tuarum testes contigerunt?

Hic scribendi finem facere possem, nisi cum publica hac, qua tam insigni et singulari fueris, felicitate, privatam quoque atque domesticam coniungeres. Et quantum primum hoc est, quod tam firma et inconcussa valetudine uteris, ut non magis quam Leontinus Gorgias (*Cic. de Sen. 13.*) habeas, quod hanc placidam lenemque senectutem accuses? Quid? quod non minore quam unquam alias assiduitate ad literarum studia incumbis, neque solum muneris Tui officiis magna cum alacritate fungeris; verum etiam, cum corporis exercendi, tum animi recreandi causa, solis frigorisque patientissimus, vulpes leporesque per silvas camposque persequeris? Debes autem hunc vigorem eximiae Tuae temperantiae et vivendi aequabilitati, cui Te severius etiam adstrinxisti, quam Cato solebat; ita ut ex iis voluptatibus, quas ille se sibi concedere ait (*Cic. de Sen. 14.*), omissis *conviviis sermone ad multam noctem productis, poculis rorantibus* nonnisi rarissime indulgeas, neque quidquam fere Tibi permittas, praeter *refrigerationem aestate et ignem hibernum*. Ego quidem

hoc quoque in parte felicitatis Tuae ponere soleo, quod vitae Tuae rationes ita descripsisti, ut hieme in urbanis aedibus literis vaces, aestate autem in amoenissimo suburbani Tui secessu requiescas; in hac parte Persarum regibus, Susa statis temporibus cum Ecbatanis commutare solitis, par et similis; in plurimis aliis et his et ceteris, quotquot sunt, regibus multo beatior. Quantum enim hoc esse dicamus, quod domum vides longe florentissimam; coniugem Tui amantissimam, senectutemque Tuam summa cum sollicitudine foventem? filias specie formosas, utero foecundissimas; binos generos, Tecum et necessitudine et muneris societate coniunctos, utrumque laudibus suis conspicuum; alterum, oratorem sacrum egregium, plurima et multifaria doctrina insignem; alterum, cum totius antiquitatis, tum graeci sermonis ita studiosum et peritum, ut iuvenis cum doctissimis in hoc genere viris componi queat; nepotes denique neptesque, in hac ipsa puerilis floris amoenitate, laetissima Te futuri fructus spe exhilarantes? Plura possem adiicere; sed nolo sermone nimium producto patientia Tua abuti. Finem igitur scribendi faciam, postquam deum optimum maximum precatus fuero, ut gymnasium hoc, quod per trecentos annos inter tot patriae procellas locum suum tenere voluit, etiam in posterum tueatur, servet, sustentet, splendoremque eum, quo illud nunc illustratum videmus, huiusque splendoris parentes et auctores diu incolumes praestet. Inter quos quum Tu, *Doeringi*, una cum collegis Tuis principem locum teneas, felicitatem illam, qua per tot annos usus es, Tibi usque ad ultimum vitae humanae terminum perpetuet, eandemque cum collegis Tuis ita communicet, ut mala a capitibus Vestris

averruncet et avertat, bona, quibus fruimini, firmet, augeat, cumulet; sic ut posterī, qui festum saeculare quartum, et deinceps alia celebrabunt, habere se arbitrentur, cur suis rectoribus solemnem veterum formulam acclament: *Melior Geislero! felicior Doeringio!* Scrib. Gothae, die ante festum S. Thomae, a. c1919ccccxxiv.

GEORGII ANDREAE GABLER

ORATIO DE REGII IMPERII SANCTITATE, CUM OMNIBUS CIVIBUS, TUM STUDIOSAE MAXIME IUVENTUTI, PIE RELIGIOSEQUE COLEND^a *).

PRAEFATIO.

Ex quo Iust. Lipsius Politicorum sive civilis doctrinae libros sex edidit in iisque maxime principatum prae ceteris reipubl. formis defendit: nemo, quod sciam, philologorum eandem materiam uberius tractavit. Ego, tametsi me nunquam audebo profiteri philologum laudisque eius vel participem vel aemulum, qua nunc excellentes multi in eo genere viri censentur, quorum et honores et aerumnas lubentius a me facesso; cupio tamen vehementer, me pernosse antiquitatem, veterumque in cogitando

*) Habita est a. 1824 ad sacra regni quinque vicennalia *Maximiliani Iosephi*, Regis Bavariae, celebranda in gymnasio Baruthino et typis impressa.

et scribendo artem ita ad meum usum fructumque conferre, ut, si quae ipse conscripsero vel latino vel nostro sermone, ea ad aliquam saltem illorum similitudinem videantur accedere: tametsi igitur philologus non sum, certe mediocris, facere tamen multas ob causas non potui, quin, oblata longe exoptatissimae omnibus, quicunque sunt Bavarici nominis, rei opportunitate, idem illud argumentum et eligerem et ita tractarem, ut, quantum posset fieri, et ab orationis lege ac brevitate non nimis viderer recedere, et uberrimam dicendi copiam aliquantum contractam in pauciora conferrem. Quidni enim materia, quam raro attingunt philologi, aptior sit iis, qui in rerum et divinarum et humanarum cognitione atque scientia aut praecipue versantur aut saltem versari se cupiunt. Atqui in his posterioribus meum ego nomen lubens profiteor, qui quidem semper philosophiae potissimum studia ad me pertinere iudicaverim, et cum in omnibus illius partibus, tum maxime in iis, quae ad res humanas, ad ius naturae et gentium, ad prudentiam civilem, instituta publica, leges, mores civitatis spectant, ita elaborandum mihi esse existimaverim, ut inde ad iuvenes quoque, hac aetate magnis quibusdam erroribus sollicitatos seductosque, si possem, ego quoque saniora illis praecepta tradere, aliquantum redundaret utilitatis. Quo factum est, ut, multis muneris publicique officii occupationibus diu distentus, tandem, animo sumto, oblatam hanc publice vel dicendi vel scribendi opportunitatem tanto cupidius arriperem ad studia declaranda mea et aliqua ex parte expromenda: quanto diutius delitescere me, et, quae multis abhinc annis varie conscripseram, cum non continuo possent absolvi, posteaque, ut fit, dis-

plicerent, iacere inchoata et inedita eram passus. Haec de me: ut, si qui iudicium volent facere de me, habeant, quod specteat.

Errores autem doctrinae quorundam communes notandi eoque acrius, quo rectius res eas par est decetque hac nostra aetate cognosci, repellendi esse videntur potissimum *duo*: alter, in quo versantur ii, qui, nescio an *Fichtii* quondam doctrinam secuti, nunc quidem docent regnari, huiusque aetatis conditionem esse eam, ut aliter id fieri non possit, sed longe tamen praestabilius esse quiddam, finemque artis omnis prudentiaeque civilis in eo esse situm, ut regna aliquando desinant esse, hominesque in libera republica semet ipsi regant, atque ad hunc eventum civitates omnes debere pervenire. Alter est error, in quem inducti sunt ii, sive philosophi sive prudentes in iure, qui, cum maius praestantiusque, quo vel conciliaretur inter se vel containeretur hominum societas civilis, nihil neque nossent neque cogitari posse opinarentur, quam *pactionis* alicuius sive verbis expressae sive tacito vel ficto consensu initae obligationem atque conglutinationem, ita eius rei similitudinem ad ipsam summam rempubl. transtulerunt, ut rationi ei, quae inter principem et populum intercedit, quasi pactionem quandam subesse existimarent, ad istam omnia referrent, ac de reipubl. statu legibusque et de *lege* quadam *regia* convenire inter principem et populum oportere paciscendo atque stipulando postularent. Quod num pactum illi nudum definire malint, an contractum aliquem innominatum, an referre potius ad ea, quae quasi ex contractu nascuntur, viderint ipsi. Contracta quidem res iam pridem est, sed ita, ut nulli iam pactioni inter populum et pri-

cipem locus esse aut possit aut debeat. Sed de his aliisque permultis uberius agere constitui libro peculiari de principatu, cui, quantum vel munus mihi, studiis istis iniquissimum, tribuet otii, vel per facultatem meam viresque licebit, tantum temporis studiique impendere decrevi.

Orationem autem hanc, qualem literis ante consignatam publice habui h. e. recitavi, talem typis exscribendam curavi, adiectis tamen iis, quae, quum tanquam ad clepsydram esset dicendum, fessis iam caerimoniarum multitudine iis, qui audiebant, nec diutius morandis, non pauca in habenda oratione omiseram. In qua cum multa esse accommodata a me et adornata ad discentium usus, quorum ratio erat habenda, lectores intelligent, tum in ipsis etiam adnotationibus, postea adscriptis, eorundem gratia feci, ut scriptorum veterum locos haud paucos aut commemorarem aut transscriptos tanquam flosculos aliquos adiicerem. Fuit autem haec omnis actio atque celebratio diei festissimi et propter ipsam causam ob pietatem ac felicitatem faustissimi et laetissimi, iucunda quoque eo et vero *gymnasio* nostro honesta, quod, cum per multos annos, qui quondam hic in *Collegio Illustri Christiano-Ernestino* vigeat mos programmata emittendi, intermissus iacuisset, eius revocandi ab summa eorum indulgentia, qui supremo loco rei scholasticae praesunt, venia nuper impetrata, per eandem occasionem, *Summi Collegii*, rempubl. in hac provincia administrantis, auctoritate, mos ille rite sollemniterque instauratus et *Regis Augustissimi* sancto nomine velut consecratus est. Scripsit enim nunc primus ex professoribus programma, quo actum sollemnem indiceret et ad audiendam orationem invi-

taret, collega mihi amicissimus, *I. Chr. Heldius*.
 Scr. Baruthi Non. Mart. a. MDCCXXIV.

Si, quae muneris mei ratio est atque functio, aut honoris unquam fructum aliquem ab eo expetivi, aut voluptatis laetitiaeque quasi mercedem desideravi: profecto sic utrumque hodiernus dies adtulit, tantumque eius fecit copiam, ut gaudii, quo perfundar, minus ad me an ornamenti perveniat, vix ego sciam ac decernere queam: etsi nullus quidem potest fructus esse honoris tantus, quin laetitia eum atque pietas in publica hac tanta communique laetandi materia aut longe superet aut prope obscureret. Dicendum est enim de *Regis* nostri *Augustissimi*, quem dudum *Patrem patriae* publica vox caritasque civium nuncupavit, singulari fortuna ac felicitate, *per quinque et viginti annos* et divinitus concessa et *Ipsius* virtute parta, retenta, aucta; dicendum propter hanc ipsam causam iussu et auctoritate Collegii reipubl. regundae in hac provincia summi et gravissimi; dicendum denique eo ex loco, unde, cum alias vox saepe mea, discentibus apta, audita est, tum verba mea accipiat hodie virorum amplissimus consessus eorum, qui natalium honorumque splendore, reipubl. dignitate, munerum gravitate ornatissimi sunt apud nos atque spectatissimi. Quanquam id ipsum, penitus sentio, quantum vel impedimenti adferat dicenti vel pudoris verecundiaeque excoitet: debetque tanto vehementius illud cogitationem perturbare meam mentemque impedire, quanto magis, quae propria sunt oratoris, ingenium, dicendi exercitatio atque copia, ratio ipsa ac disciplina, ea aut nulla esse in me aut admodum exigua

plane intelligo. Atque illud quoque obstat officitque, quod inter hanc publicam gratulationem atque supplicationem, inter tot caerimonias, religiones, pompas, inter tot concentus musicos, strepitus, clamores, quae omnia cum varie circumsonant aures, tum mentes pariter oculosque avertunt, vix potest contingere oratori, ut exaudiatur locumque aliquem tueatur.

Quamobrem mihi quidem, ut suscepto munere, cum id minus possim explere, aliqua tamen ex parte videar fungi, unica relictas spes est in eius ipsius, de qua dicendum est, causae mirabili quadam copia atque ubertate: quae cum tanta sit, in qua nemini possit oratio deesse, licet meis quoque verbis, quam non ex se habent commendationem, certe ex *Augustissimo* orationis huius *Auctore* tanquam ex uberissimo fonte dignitatem quandam atque auctoritatem et petere et sperare. Etenim cum in vita saepe quotidiana, de *Rege* nostro quoties sermo incidit, etiam rudes homines bonarumque artium imperitos videamus diserte et copiose loqui, et in *Illius* admirationem ac venerationem rapi plane singularem: quod cum alias saepe manifestum fuit, tum vero mirum in modum exarsit prorupitque per illos fortunatissimos dies, plenos gaudii atque hilaritatis, quibus *praesentem* intueri ac salutare hac in urbe licuit: qualem tandem necesse est orationem, quantum in dicendo vim atque copiam vel postulari vel exspectari ab iis, qui ob hoc ipsum sunt hoc die electi et conspicuo loco constituti. Et si alios saepe dies *Regis* festos ac solennes, sive natales sive nomine *Eius* exoptatissimo insignitos, quotiescunque incidunt, tanta simul cum pietate atque dignitate concelebramus, quanta nihil aliud neque publice neque privatim solemus: quae quamque pia puta-

mus vota oportere hoc die nuncupari, quanta cum laetitia, celebratione, magnificentia hunc ipsum diem obiri: qui mihi quidem omnes illos superiores videtur dies aut longe superare aut quodammodo complecti, eorundemque velut coniunctam vim atque religionem, cum ipse summa sit religione et sanctitate, ad se transferre atque cumulare.

Ac ne quis forte pleniorē putet aut laetitiae aut pietatis fuisse eum diem, etsi illum quidem nulli facile superiorum comparandum, quo die ante hos paucos annos, summa *Regis* liberalitate ac munificentia, haec, qua nunc utimur, reipubl. forma et primum constituta et promulgata est: quidquid tunc gaudii fuit et felicitatis, nostrum id fuit, nostra causa sumus laetati, nostra felicitate exsultavimus ac triumphavimus; nisi quod auctorem tanti muneris generosum et magnanimum, sicut par erat, laudibus extollebamus summis et amplissimis. Defuit tum mentis ea sive pietas sive religio, quae ipsius *Regis* causa, puro et sincero, non ex nostris commodis utilitatibusque petito, gaudio nos iubet perfundi ac frui. At vero huius diei exoptatissima luce hic etiam velut cumulus cum felicitatis tum erga *Regem Optimum* pietatis nostrae accedit. Nam etsi nullae unquam res rationesque nostrae possunt disiunctae esse a *regis* commodis ac salute, idque ipsum, quod vivit, quod salvus incolumisque est, quod divino numine ac beneficio tot felicissimi imperii annos feliciter complevit, nostram ipsorum summam adtingit utilitatem causamque salutis continet: tamen eam esse hodie gloriamur nostram erga *Regem* caritatem, pietatem, religionem, ut, seiuncta omni nostrarum utilitatum ratione, in ipsum *Regem*, Patrem patriae, vota et studia nostra conversa sint,

Eum unice spectent, *Eius* vitam, incolumitatem, salutem et publica supplicatione et precibus privatis amplectantur.

Hac mihi mente et voluntate cives quoque universi, quidquid hoc die agunt molianturque, agere et suscepisse videntur, et hac pietate esse imbuti, ut, sui testificandi animi causa, etiamsi ingenti apparatu maxima quaeque et amplissima animo conceperint, fecerint, extruxerint, ea tamen inferiora esse sua voluntate existiment, nec, quae penitus sentiant, sibi iam aut aperuisse aut declarasse videantur.

Ego autem, qui idem iam mihi usu venire sentio, ne omnino aut indigna aut aliena ab huius diei splendore proferre in medium videar, *nullam rem*, reputavi mecum, *in regibus neque maiorem esse neque venerabiliorem neque sanctiorem, quam ipsam illam, qua supra ceteros mortales longe eminent reges, imperii maiestatem atque praestantiam*: hanc autem cum saeculorum omnium temporumque effectione rerumque gestarum eventu, tum vero suaapte natura rei que ratione ita esse firmatam munitamque, ut de legitima regum potestate nemo dubitare iam debeat.

Quod etsi minus fortasse aptum nonnullis argumentum videatur, in quo oratio versetur hodierna, propterea quod regem ac principem esse *Regi* nostro commune sit cum multis; hoc autem die expectetur potius virtutum *Illius* praecipuarum, quibus aut neminem habet aut paucos *Sui* similes, sive expositio sive illustratio: tamen his quoque, quoniam difficile non erit, ut satisfaciam, ita dabo operam, ut mea non omitam. Etenim quod singulare ac praecipuum regibus impositum est a deo munus at-

que officium: in eo sancte tuendo omnique ex parte explendo si quis regum praeter ceteros praeclare versatus fuerit, si ad commune omnium officium eximias quasdam laudes suas, minus illas quidem fortasse necessarias, sed tamen, ubicunque apparuerint, magnas, iucundas, admirabiles, adiunxerit, denique si talem se perpetuo constanterque praestiterit, qualem nostrum *Regem* et cognovimus et gloriamur: tantum abest, ut, hac proposita dicendi materia, *Illius* obscurari putem summum decus, ut sic demum in clara propriaque luce collocari videatur *Eius* praecipua atque immortalis virtus.

Ac multae me praeterea causae moverunt, cur hoc potissimum argumentum eligendum mihi esse arbitrarer. Constat enim, exstitisse cum alias, tum etiam nostra aetate, stultitiarum facile omnium ac scelerum genitrice, qui aut prava abrepti vel opinione vel doctrina, aut insita quadam malitia instincti, supremam illam profectamque a deo regum dignitatem ac potestatem, quasi ignorantes, conarentur deprimere, eorumque augustam et divinam sortem cum vulgarium hominum conditione miscere ac prope exaequare: ut taceam execrandum scelus illorum, qui eo usque prolapsi sunt insaniae atque impietatis, ut nefaria et atrocia in reges consilia atque facinora non modo inire, meditari, suadere, sed exsequi, perficere, patrare auderent. O deliratio nem incredibilem! o proruptam audaciam atque temeritatem.

Vetat hodierni diei religio atque sanctitas, AA., abominandos conatus tantorumque scelerum atrocitatem referre: praesertim quum illa non dico patria nostra, sed vix Germania ulla viderit. Sed tamen, quoniam quasi necessitudine quadam arctisque vin-

culis coniuncta est regum salus atque connexa cum populorum civitatumque salute: posteaquam cognitum est, furiosorum hominum machinationes spectare ad intestinas discordias, caedes, bella ipsis populis inferenda: factum esse scimus, ut potentissimi principes et reges Europaei, cum legitimae suae auctoritatis tuendae, tum generis humani servandi gratia, ad coercendam hominum audaciam nefariosque conatus reprimendos, tanquam ad commune restinguendum incendium Europae, communi et sapienti consilio occurrendum sibi esse decernerent, atque ipsam adeo opinionum errorumque pravitatem exstirpandam ex hominum animis mentesque persanandas esse iudicarent. Et haud dubie illi et vere et aequissimo iure ita statuerunt.

Nam quicunque aut doctrinae opinionisque errore aut re factisque grassati sunt in principatum regumque auctoritatem, et hoc omne imperii genus aut tollendum esse aut certe angustioribus circumscribendum finibus putarunt: hos neque, quid rerum gestarum historia doceat rerumque humanarum ordo sanxerit, nec quid temporum ratio ac necessitas postulet, nec quid ipsa vetustatis religio, quid iurium gravitas, quid fidei sanctitas efflagitet, didicisse unquam aut cogitasse manifestum est: neque illi, quanto praestet principatus ceteris reipubl. formis, quanto verior, iustior, constantior sit, quanto communis civilis utilitatibus totiusque generis humani commodis aptior, reputavisse secum videntur.

Historiam igitur dico illos ignorare rerumque gestarum documenta gravissima. Sed audiendi sunt ipsi, ne non auditi, si causa ceciderint, querantur iniurias, et specie magis quam re victos se esse in-

simulent. Itaque si istorum quempiam ad dicendam causam admiserimus, primum historiarum testimoniis hanc posse dirimi controversiam negabit, aut, si illis locus detur, longe se habere meliora et in suam rem aptiora promittet. „Quam tu nobis, inquit, historiam, quae documenta, quas fabulas inculcas? nonne omnis rerum gestarum narratio, non temporum omnium atque aetatum memoria, non uniuscuiusque civitatis annales, non plena sunt omnia conversionum ac vicissitudinum? non praeclare docent, nullum unquam reipublicae genus perpetuum ac stabile fuisse? Harum autem mutationum num aliam reperimus fuisse causam, nisi quod homines semper libertati studuerunt, eamque vel paucorum potentia sibi ereptam vel singulorum dominatione oppressam, conati sunt recuperare atque vindicare? Quam ubi contigit illis expugnare vindicatamque tueri, civitates videmus per satis longum tempus rerum suarum statu uti aequabili, quieto, fortunato. Quid? quae ad hanc aetatem civitates vel libertatem tenuerunt vel patrum memoria in libertatem sese vindicarunt, nonne earum eximia et integra felicitas et ab ipsis praedicatur et ab exteris illis invidetur?“

Egregia vero et speciosa oratio. Neque ego nunc priscorum poetarum aut historicorum utar auctoritate, quorum hi *) primum et antiquissimum in terris imperii nomen fuisse prodiderunt, illi **) a diis

*) *Sall. Cat. 2.*; *Iustin. hist. I, 1.* Add. *Aristot. Pol. IV, 2. T. II, p. 459. C.* (πρώτη καὶ θειοτάτη ἡ βασιλεία), et *Cic. de Legg. III, 2.*

**) Iove plerique geniti perhibentur. *V. Hom. II. in Mus. 4. Callim. H. in Iov. 79. Hom. II. 2, 204. Plat. Po. Bibl. script. A. I. 2.*

profectum cecinerunt: nihil enim, opinor, vetustati isti tribuitis: quanquam illud quidem obscurum non est, qua necessitate antiquissima illa regna in populorum libertatem evaserint, eadem necessitate isti, quam praedicatis vos, civitatum libertati finem impositum esse nascente hac nostra regnorum consuetudine *). Neque omnino hoc quidem loco rem sola historia posse confici contendo, etsi posse confido, si ratio accesserit. Sed tamen, si ex omni historia nihil vos aliud profitemini didicisse, nisi

lit. p. 302. E. Quamquam nihil opus est, rei notissimae et cuius plena fuit prisca hominum aetas, testimonia congerere.

*) Sic enim statuo, per tres potissimum velut gradus evectam esse omnem artem disciplinamque civilem, ac pervenisse ad eum reipubl. statum, quem nunc fere in regnis nostris Europaeis videmus constare. Quum enim antiquissima regna, quae continebantur regum et singulari virtute et mira apud populum fiducia, paulatim coepissent infringi atque cum ipsa regum virtute evanescere, cederentque postremo fere cuncta civium libertati et quasi emancipationi: secuta est ea aetas, qua cives ipsi, civili prudentia praediti, et in sua potestate constituti, suo iudicio atque arbitratu res suas administrabant, nec imperiti eius artis, non pauci quidem, aut erant aut videntur. Per eam aetatem in compluribus civitatibus, sive illae ab optimatibus sive ab ipso populo regerantur, omnis ratio atque disciplina civilis ita iam pertusata est, ut in omnes partes reip. ars et prudentia hauriretur, latissimeque pateret; plurima, quibus hodieque utimur, iam tum inventa, rectius salutarisque instituta, non pauca quodammodo perfecta sunt. Ea postremo ita translata sunt omnia ad eam aetatem, qua denuo regna coeperunt esse, ut, iis velut fundamentis iactis, manente, quoad licebat, civium libertate, superstrueretur praestantissima imperii forma ea, qua nunc pleraeque civitates Europaeae sunt constitutae, sive *Principatus*, qui finis est artis prudentiaeque civilis, populis omnibus propositus. Qui etsi nondum numeris suis absolutus est, egetque multis in civitatibus perfectione, ipse tamen tenendus est ubique, atque haec velut firmamenta reip. diligenter constanterque sunt tuenda.

illud, quod multis sane vel omnibus civitatibus populisque commune fuit, ut rerum suarum viderent conversiones, et hoc duntaxat memoria tenetis; si, quod praecipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum est, monente Livio (praefat.), omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri, unde tibi tuaeque reipublicae, quod imitere, capias, unde foedum inceptu, foedum exitu, quod vitas; si hoc, inquam, ad vos nihil pertinet: mirum quidem non est, foedos vos exitus vestra demum experientia cognovisse, at manifestum tamen, aut coecos vos esse in iis, quae sunt luce clariora, aut mire abuti rerum historia ad efficiendum id, quod vultis vehementerque studetis. At enim libertatem desideratis, hominibus scilicet natura insitam, eiusque nullam arbitramini alibi dari copiam tantam, quantam deprehendere vobis videmini iis in civitatibus, quae propter id ipsum fortasse sunt liberae appellatae.

Durum est sane et iniquum, non infitiamur, iniuncta ceteris parendi necessitate, unius nutu et arbitrio regi omnia ac gubernari; neque in ullam communis publicique consilii partem vocari; multis ne liberis quidem loquendi sententiaeque aperiendae potestatem concedi. Quanto rectius aequiusque fuit, aequata omnium libertate, neminem prae ceteris eximie exstare, reddique cuique iura, quae cuique ingenerata et a natura tributa sunt!⁴

Haec vos nimirum hominum iura, haec mysteria celebratis, haec tanquam oracula funditis in clandestinis coitionibus conciliisque vestris!*) Quasi

⁴) Ab nullo genere non (h. e. ab utroque sexu, si lectio certa) summum periculum est, si coetus et concilia, et secretas consultationes esse sinas. Liv. XXXIV. 2.

vero nos humano et naturali iure simus exuti, careamus libertate, ac non potiora sint civium iura, et ea demum vere libertas, quae legitima sit et versetur in ratione: qua nos utimur, vos egetis. Quamobrem, ut omittam nunc ea vestrorum, quae aut aperte falsa sunt, aut certe apud nos, in hac civitate, in hoc felicissimo regno iniuria querimini: etsi a quibusdam vestrum non videtur abesse suspicio, aegre eos pati, quod non ipsi regnant, idcirco libertatis illius faciem prae se ferre funestam: tamen ego his me finibus continebo, ut ista, quae dicitis, quam sint falsa, iniusta, perniciosa generi humano hominumque communitati contraria, ostendam. Sed, si placet, quoniam ab rerum gestarum monumentis sumus profecti, disceptemus exemplis, si vultis, antiquitatis, quam tantopere solemus admirari.

Nam ne quis forte dicat, complures hodieque civitates non solum minores, sed etiam maiores libera ista reipubl. forma et constitutas esse et prosperime uti, maximeque Americanos hoc nomine nobis opponat: at horum nos eventus futuros ignoramus; et, praeterquam quod regem non habent, ~~religione~~ tamen, quae nunc illorum est disciplina, etsi minus paulo adhuc condita et perpolita, ita fere in nostrum morem sunt apud illos instituta, ut et mutuati esse a nobis et aliter non potuisse facere videantur: quos equidem spero, nisi haec ipsa forte regni similitudo libertati eorum praesidio sit, aliquando, ubi maturitas venerit, regna apud se esse visuros.

Praeclara igitur vobis (omitto enim reliquas Graeciae civitates, nihil dico de Lacedaemoniis, quorum disciplinam, opinor, ipsi ut nimis rigidam et abhorrentem a vestra libertate aspernamini), praecleara igitur videtur vobis fuisse Atheniensium res-

publ. ? in qua scilicet nulla fuit servitus, nulla iniquitas, nulla iniustitia, nulla partium studia, nullae seditiones, nullae vel nobilium vel popularium factiones, nulla praepotentium hominum auctoritas, vis, dominatio, nulla innocentium virorum supplicia, nulli denique magistratus, nulla imperia? summa omnium et exaequata libertas, idem semper et tranquillus et aequabilis reipublicae status?

„At enim magistratibus paruerunt Athenienses a se creatis, et fuerunt conciones, quibus data est cuivis libere de republ. dicendi ac decernendi facultas.“ Num ergo, quia summos ipsi sibi magistratus fecerunt, idcirco minus fortasse paruerunt? aut hoc interest, a quonam constituti sint magistratus, dummodo legitime, iuste, sapienter rempublicam administrent, faciantque ea, quae sunt e republ.? Num vero illi etiam optimos semper rerumque gerendarum peritissimos elegerunt? an istud quidem est vere eligere, *fabis*, quod Socrates irridet*), h. e. sortibus et fortunae magistratuum creationem temere committere? Conciones autem (ut taceam, quae singulis urbibus parvisque civitatibus apta sunt, non eadem accommodata esse magnis imperiis lateque diffusis populis) numquid aliud fuerunt, nisi, quod multi testantur veterum, temere confluens multitudo, constans ex imperitissimis**), seditiose exagitata et concitata concionatorum quorundam ambitione atque aemulatione? Nam vere et graviter bonus auctor, *Montesquieu****), multitudinem nunquam, ait,

*) *Xenoph. Memor. I, 2, 9.*

**) *Cic. Lael. c. 25.*

***) *Esprit des loix, L. II. c. 2. (Ed. tereot. Paris. 1816. T. I. p. 80 et 83, c. 3. p. 86) quo tamen loco plus iusto tri-*

moderate, semper temere, nihil consilio, omnia per animi quendam impetum et quasi furorem agitare. Libertas vero Atheniensium fuit eiusmodi, ut, qui civis aliud censuisset, aliud iubere et exsequi cogeretur, quod nimirum plura suffragia h. e. singulorum sententiae imperassent; et qui, vacuus a publicis curis negotiisque, soli sibi suisque maluisset vivere, aetatemque secreto et per silentium transigere, (quae nunc omnibus facile conceditur vitae tranquillitas et libertas), id illa perficere impune non posset, sed iuberetur lege, a sapientissimo illo perfecta Solone, partes aliquas sectari et amplecti, quoties esset civitas seditione factionibusque divisa *). Ita erant denique omnia, vita, mos, consuetudo, studia hominum, vitae publicae communitalisque velut vinculis constricta, ita vulgaris opinionis receptique moris quasi necessitate quadam ipsi sensus, mentes, animi civium devincti et alligati, ut, si quis

buere videtur auctor iudicio et dexteritati plebis in eligendis magistratibus. Cf. *Aristot. Eth. X, 4. 19, T. II. p. 174.* Α. τοὺς δὲ πολλοὺς ἀδυνατεῖν [τοὺς λόγους] πρὸς καλοκἀγαθίαν προτρέψασθαι· οὐ γὰρ πεφύκασιν αἰδοῖ περὶ ἀρχεῖν, ἀλλὰ φόβῳ, οὐδ' ἀπέχεσθαι τῶν φανύλων διὰ τὸ αἰσχροῦν, ἀλλὰ διὰ τὰς τιμωρίας.

*) Erat infamiae poena proposita, ut Plutarchus refert in Vita Solon. 20.: Τῶν δ' ἄλλων αὐτοῦ νόμων, ἰδίᾳ μὲν μάλιστα καὶ παράδοξος ὁ καλεῖων ἄτιμον εἶναι τὸν ἐν στάσει μηδετέρας μερίδος γινόμενον. Cuius rei etsi probabilem reddit Plutarchus rationem, voluisse Solonem, ut civium animi atque studia non alienarentur a republica, nec, qualis esset eius status, susque deque haberent: tamen id ipsum, quibus in initiis tum versata sit institutio vitae civilis, facilem praebet coniecturam. Longe alia ratio est tranquillitatis eius, quam ex nostra aetate laudavi.

aliter sentiret, cogitaret, faceret, capitale esset, nihilque quisque liberum sibi propriumque fere haberet, nisi istius, quam admiramini, communis publicaeque libertatis opinionem quandam, nihil praecipuum atque eximium, nisi quod civitatum omnium bene temperatarum civibus commune est; contra iniqua, iniusta, inepta sane multa, plena omnia invidiae, simultatum, calumniarum, quibus, ut quisque iustissimus esset et integerrimus, ita maxime adpetteretur atque opprimeretur.

Atque haec civitas, operae pretium est cognoscere, quem exitum habuerit. Scilicet quum eam, rebus omnibus opibusque florentem, *Pericles* ille Olympius, vir ita eloquens, ut eius in labris veteres comici leporem habitasse dicerent*), idemque tam vehemens concionator, ut eius, miscentis Graeciam, vim atque celebritatem fulminibus coelestique fragori compararet *Aristophanes***), is igitur quum illam aliquamdiu satis prudenter callideque rexisset; deinde *Cleonis****), coriarii videlicet artificis, ars exutam bonis artibus effrenataque plebis licentia concussam, male mulcasset et macerasset; tum periculis obiectam *Alcibiadis* levitas ac temeritas in summum rerum omnium discrimen adduxisset: ecquam aliam

*) Ctc. de Orat. III. c. 34.

**) Acharn. 530. Cf. *Quintil.* Inst. Orat. II. c. 16, 19. et XII. c. 10, 24.

***) quem *Lucianus* refert in *Prometheo*, 2. quod sero nec nisi confecto negotio saperet, dictum esse *Προμηθεὶς μετα τὰ πρᾶγματα*. *Cleonis* res gestas narrat *Thucyd.* inde a IV, 21., inhonestam mortem V, 10. Eundem propter male gestam rempublicam ab *Aristophane* in scenam productum et male illum esse tota *Equitum* fabula, res est notissima.

illa, quum debilitata et exhausta, suis iam stare viribus non posset, ecquam aliam fortunam passa est, ecquem alium eventum habuit, nisi eum, quem cunctis istis civitatibus velut divina quadam necessitate esse paratum, edocti historia cognovimus? Cessit illa potentiori, facta est ditionis alienae, et eadem illa plebs, quae tot ante victoriis exsultaverat, tot leges sciverat, libertatem suam ac potentiam tam superbe iactaverat, misere se abiecit in servitutem atque adulationem.

Nolo iam singula percensere vel vitia vel incommoda, quae in rebus publicis istum in modum conflatis verius quam constitutis plurima insunt: illud arbitror non obscurum esse, quae in iis vel bene sapienterque instituta sint vel prudenter prospereque gesta, ea omnia referri debere ad singulorum virtutem eximiam atque sapientiam. Quippe ratione, consilio, prudentia res magnae atque praeclarae geruntur: hae autem virtutes, in re quidem publica vel instituenda vel regenda, semper fuerunt admodum paucorum.

Quid? Romanorum resp., qua vix alia unquam aut ad ingentia rerum momenta casuumque magnorum varietatem insignior, aut ipsis quoque magnis et virtutibus et ingeniis feracior abundantiorque fuit, eadem tamen, cum inde ab initio intestinis distraheretur discordiis domesticisque seditionibus, nonne prope in iisdem versata est vicissitudinibus rerumque magnarum, opum, imperiorum inconstantia atque conversione? quae quidem civitas, posteaquam eo crevit, ut ipsa iam magnitudine laboraret sua, claro et illustri docuit exemplo, ut quaeque maxima sint imperia, ideoque minime patiantur rebus gerendis multos praecesse, sed summam rei aut per-

paucis aut uni esse committendam suadeant, ita facillime periclitari istam omnium libertatem, si tunc quidem ulla iam exstat, et ad unius dominationem cunctas res inclinare et vero transferri: quod vel pacis interfuisse ait *Tacitus* (Hist. I, 1.), ut omnis apud Romanos ad unum potentia conferretur. Constituto autem in eadem civitate principatu et aliquantum firmato, quanquam illum quidem, quippe rem inchoatam, rudem, imperfectam, fateor ipse, neutiquam posse comparari cum huius nostri principatus regnorumque eorum, quae multis demum saeculis post melior et aetas et doctrina invenit corroboravitque, praestantia atque perfectione: verumtamen, quum eo esset perventum Romae, ut unius imperio resp. regeretur: nonne tunc provincialium quoque sociorumque conditioni et commodis Imperatorum Caesarumque beneficio atque humanitate sic esse consultum videmus, ut, qui homines sub unius urbis, principum multorum dominatu atque imperio crudelissime essent saepe habiti, misereque vexati, direpti, exhausti, ii tum demum et hominum et civium iura reciperent? Quae illis videlicet, non iniquiore neque deteriore natis iure, civitatis liberae superbia, arrogantia, iniustitia denegaverat reddique noluerat, eadem impertivit tribuitque illis Principum aequitas atque mansuetudo*), nequaquam

*) Huic disputationi meae video quid obstat, aut certe quid obiurgaturi sint alii. Quid? tu nescis, inquit, sententiam eorum, qui beatissimum fuisse *Antoninorum* saeculum putarunt, generisque humani, imperantibus illis, eximiam felicitatem praedicarunt, (cf. *Hegewisch Ueber d. für die Menschheit glückl. Epoche in der Röm. Gesch.* Hamb. 1800.) nuper admodum egregie esse confutatam atque explosam? (cf. *Rothii* disp. de M. C. Frontonis scriptis et de aetate Antoninorum, recit. apud acad. Monach.

tum quidem omnium: quod cum aliis multis de causis fieri nondum potuit, tum non exspectari ea aetate, qua nulladum erat certa successio, nec princeps ex principe nascebatur; sed tamen non illa solum, quae commemoravi, libenter a multis sunt tributa, verum omnino iuste, legitime, clementer imperatum est iis ab imperatoribus, qui sive philosophiae quodam ac sapientiae munere, sive etiam, ipsis non sentientibus, divinae illius et unice verae doctrinae, quae iam tum inter homines coeperat mirificam ac salubrem vim suam diffundere, leni quadam quasi aura atque adspiratione mitigati hu-

a. 1817.) Scilicet nulla iam eo tempore apud Romanos animi vis fuit, nulla ingenii virtus, neque egregia ulla, ut cum Sallustio loquar, ingenii facinora apparebant; misere erant omnia languida, mollia, fracta: et quae iura ac beneficia imperatores sua sponte promittae omnibus tribuebant, ea tum vilia erant, obsoleta, nullius iam pretii; ius civitatis etiam pessimi per provincias vulgabant. At haec ego partim nolui, partim meis non obstare intelligo. Agitur non de ingeniorum proventus animique virtute, nec de reliquis, quae illa aetate haud sane admirabilia fuere, sed de disciplinae civilis iurisque publici progressu quodam atque incrementis. Atqui maius quiddam et civilius et humanius videtur fuisse, quod principes illi, *summam et universam* spectantes rempubl., animo proposuerunt ac perfecerunt, quum cunctas ditionis suae terras cunctosque vel cives vel homines eodem humanitatis aequitatisque iure, eadem iustitia atque civitate comprehenderent. Cf. etiam Heeren Handb. d. Gesch. der Staaten des Alterth. ed. 2. p. 554. qui illa aetate, ut *firmiter fundata* dici posset civitas romana, nihil censet defuisse, nisi in *populi moribus animi magnitudinem ac fortitudinem*. Ceterum, ut ego existimo et significavi in oratione, illa omnis aetas, antegressa lapsum et occasum totius antiquitatis, moribundorum similis divinationi et vaticiniis, praenuntia magis venturi rerum ordinis habenda, quam ex sua dignitate censenda est; sunt, ut in rerum natura, ita in rerum gestarum ordine intervalla et transitiones.

manitatie addicti, tantum mihi videntur praestitisse, ut, quales postera aetate esse deberent reges christiani, et laudabile tum exemplum praeirent, et bona spe in posterum praelucere.

Sed propius tamen ad hanc nostrarum civitatum consuetudinem accedebat ea imperii forma, quae inde a Constantini M. temporibus coepit introduci et constitui: etsi ne illam quidem, paulo adhuc rudior minusque elaboratam, quamvis christianam, fas est aliud fuisse existimare, nisi adumbratam quandam imaginem et simulacrum civitatis reique publicae formae eius, in qua vel defendenda vel illustranda peculiariter debet nostra oratio versari.

Nolo enim iam, AA., diutius mihi esse quidquam negotii cum istis hominibus, quorum errores cum historiae veritate rerumque gestarum argumentis dudum sunt confutati, tum verbis quoque meis, quae adhuc facienda erunt, etiamsi non in illos direxero, tamen, spero, quoad eius fieri possit per meam facultatem, ita refellentur, ut iacere falsam illorum libertatem, iacere arrogantiam atque insolentiam, iacere denique populi illam, quam praetendunt seditioni suae, maiestatem *) ac nullam esse nemo sa-

*) Si qua olim fuit maiestas populi, maxime romani, qua oratores saepe lactabant mulcebantque plebeculam, ea neque tunc, quum nemo unus eius, quippe individuae rei et ad *universum* populum pertinentis, ne partem quidem ad semet posset transferre, aliud fuit quidquam, nisi imago incerta atque umbra; et nunc omnis translata dudum est ad reges et principes, in quibus ita invenit illa una cum summa potestate certam stabilemque verae et solidae rei sedem, ut, quidquid in *universo* vel regno vel populo inest maiestatis ac sanctitatis, id omne augusta unius principis persona et contineri comprehendique intelligamus, et populus ipse, universitatis suae quaerens veram et sanctam imaginem, nihil, quo illa verius expres-

piens non intelligat. Ac iacent ista, AA., cum aliis de causis, tum vel propter id ipsum, quod sumus *Christiani*. Huius enim doctrinae, incredibile est memoratu, quanta quamque admirabilis vis fuerit cum omnino ad veram humano generi felicitatem aeternamque salutem conciliandam, tum vero etiam in civili hominum societate tuenda et institutis legibusque ad eundem finem dirigenda. Nimirum, quum inter Romanos *discordantis*, ut est apud Tacitum (Ann. I, 9.), *patriae non aliud remedium fuerit, quam si ab uno regeretur*; Plutarcho *) autem citius urbs videatur sine solo, quam respublica, opinionē de diis sublata, aut constitui aut constituta servari posse: quid tandem putamus pacata illa et quieta debuisse effici religione, qua nihil est in rebus humanis praestantius, quaque sola, cum dei timore coniuncta, custodiri hominum inter se societatem Lactantius (de Ira I, 12.) iudicat? Quae quidem religio, cum erigeret homines ad aeterna et coelestia spectanda, avocaretque eos ab rerum hu-

sa ac repraesentata sit, possit usquam reperire, quam ipsam regis personam: in quam sic debet pie casteque intueri, tanquam in templi alicuius adytum sanctissimum.

*) adv. Colot. c. 47. (ed. Reisk. T. X. p. 626.) Religionem ibidem appellat *συνεχτικὸν ἀπάσης κοινωνίας, καὶ νομοθεσίας ἔργισμα*. Cf. *Aristot. Polit. VII, c. 8.* (T. II. p. 545. C.); *Synes. or. de Regno*, inprimis haec, quae *Lipsius* laudavit, verba: *Εὐσέβεια δὲ πρῶτον ὑποβεβλήσθω, κρηπὶς ἀσφαλῆς, ἐφ' ἧς ἐστήξει τὸ ἄγαλμα ἔμπεδον τῆς βασιλείας*. Ceterum illud demonstrandum non erat hoc loco, de quo nemo dubitat, in omnibus fere antiquis civitatibus rerum divinarum curationem ad ipsam remp. pertinuisse: hoc agitur, ut, quae et qualis doctrinae christianae in christianis civitatibus formandis vis fuerit, doceatur.

manarum civiliumque nimis et diversis studiis, non potuit profecto non hoc efficere inprimis atque spectare, ut, domi ad pacem et concordiam compositis rebus, civitatisque securitate fundata, *sub certis regum hereditariorum imperiis*, iuste clementerque exercitis, aetatem homines in his terris quiete, tranquille, pie casteque transigerent.

Ac non possum hoc loco, AA., silentio praeterire, quantum maiores nostri cum fere omnibus in rebus, quae ad humanitatem generisque humani veram felicitatem pertinent, tum etiam hac in re, de qua nunc agimus, divina vel tuenda vel augenda excelluerint praestiterintque paene cunctis orbis terrae nationibus. Nam apud *Germanos*, quod quidem gentis nomen paulo latius patens ad multos scimus populos pertinere, quum velut domesticum esset antiquitusque traditum, principes regesque diligere, singulatique in eos esse fide atque officio: posteaquam illi doctrinae christianae coepere praeceptis imbui, celeriterque ea arripere; tum vero coepere etiam inter eos res publicae, iura, leges, denique omnis disciplina civilis melius salutarique institui, augeri, perfici, corroborari; donec perventum est ad eum reipublicae statum certum, stabilem, idoneum, quem nunc in plerisque civitatibus Europaeis, si minus eundem ubique, universe tamen et communiter videmus receptum atque confirmatum.

Nam ad eandem rem vel promovendam vel stabilendam quid Romanorum forte ius civile, in Germaniam translatum domesticisque institutis vel adiunctum vel intrusum, quid disputatio quaedam fori ususque iudiciorum, quid prudentum doctrina, quid denique philosophia contulerit nihil attinet hoc loco commemorare: quum praesertim, nisi principio

illud insitum esset genti, haud facile extrinsecus posset adscisci.

Quae cum ita sint, etsi ea intelligo minime potuisse a me ita vel efferri vel illustrari, uti postulat rei magnitudo atque gravitas: illud tamen facile apparet cuivis, si qua in his rebus vis est atque ratio vetustatis, quae profecto non minor esse nec potest nec debet, quam in alia quapiam hominum consociatione vel communitate: tantam esse debere vim, auctoritatem, sanctitatem, quam his nostris regnis civitatibusque dudum ipsa conciliaverit vetustas temporisque diuturnitas, ut non modo tolli, sed ne immutari quidem, nisi a quibus legitime id possit fieri, quidquam in illis debeat*). Quid? qui iure, a maioribus accepto, optimo et antiquissimo, et, ut ante dixi, divinitus constituti sunt populorum rectores: his tu, homo nequam et perditus, hanc a deo profectam potestatem temere abroges? quorum, ut *Seneca* (Cons. ad Polyb. 26.) praetlare ait, vigilia omnium domos, quorum labor omnium otium, quorum industria omnium delicias, quorum occupatio omnium vacationem defendit, eos tu tollas? patriae parricidium, reipublicae bellum impium, civibus miseriam ac calamitatem inferas? fundamenta civitatis labefactes? legum denique omnium et verae libertatis interitum adferas? Cur? nempe, ut opes ac potentiam, ad quas ulla alia te ratione posse pervenire desperasti, scelere nefario ac turpissimo consequare?

At vero Cicerō, gravissimus ille libertatis roma-

*) Cf. *Augusti* verba apud *Dionem* LIII, 19. Πρῶτον μὲν τοὺς καίμηνους νόμους ἀσχυρῶς φυλάττετε, κ.τ. λ.

nae defensor, qui adeo religiosè duxit servanda esse, quae more aguntur institutisque civilibus, ut nihil de iis, quoniam ea ipsa essent praecepta, praecipi, nedum mutari vellet, videturque ipsum Socratem et Aristippum, si quid contra morem consuetudinemque civilem — at qualem! — fecissent locutivè essent, vituperare, certe alios vetat eo duci errore, ut idem sibi licere arbitrentur *); qui nihil vehementius aversatur, quam praesentem rerum statum ullo modo turbari; qui denique ipsa regna probat eorum, qui ea, ut a maioribus prodita, iure obtinuerint **): idem si nostra aetate revixisset, si haec nostra regna videret, si praesentem, quo nostrae nunc stant respubl., statum cognosceret, si, quam praeclare, apte, constanter sint in iis, quamvis regibus pareant, quaeque provisa atque constituta, animadverteret, si, quam nihil sit loci relictum singulorum arbitrio, potentiae, iniuriae, legibus omnia certis idoneisque adstricta, intelligeret: qualem tandem putatis nunc eius futurum esse sermonem, quae praecepta, quas admonitiones?

Ac mihi quidem intuenti saepenumero hanc ipsam nostrarum civitatum praestantiam ac firmitatem, et, quid maxime interesset inter principatum et illam reip. formam, quam *ἡμοναρχίαν* Graeci appellant, quaerenti, (quoniam duae istae quidem formae, ut toto genere disiunctae, ita maxime contrariae altera alteri habentur) visus est principatus non inapte comparari cum templorum illorum specie ac

*) *Cic. Off. I, 41.* Ipse *Alcibiades* ap. *Thucyd. VI, 18.* rempubl. ita censet administrandam esse, ut praesentes mores legesque, etiamsi deteriores sint, retineantur.

**) *Cic. de Off. III, 21.*

maiestate, quae, praeclaro facta opere pleneque artificii, vetusto nomine, sicut ipsa sunt vetustissima, *Gothica* solemus appellare. Haec enim qui ad-eunt templa, eos sic commemorant animo solere ad-fici, ut primo adspectu velut adtoniti et stupefacti, illorum amplitudinem, dignitatem infinitamque operis varietatem oculis quidem hauriant, mente non com-prehendant; ingressi autem sacro quodam perfun-dantur horrore, penitusque perculsi, velut praesen-tis numinis religione tacti, mirum in modum imbui sibi sentiant pectora pietate et sanctitate; deinde ubi ad se redierint, collecto animo ad singula spe-ctanda, lustranda, percipienda, idem usu venire illis, quod in eximio huius generis aedificio illo Argento-ratensi evenisse sibi praeclare narrat, ut omnia, princeps poetarum, *Goethius* *), ut, nisi diu multum-que singula quaeque secum reputaverint, considera-verint, inter se comparaverint, descriptionem par-tium in parvis minutisque didicerint, non possint ad totius operis cogitationem atque comprehensionem pervenire; hac vero menti informata ac proposita, studii sui laborisque in contemplando consumti mi-rum quendam atque eximium capiant fructum, tan-tique et operis et artificis incredibili admiratione adficientur. Eadem mihi ratione principatus atque haec omnis reip. in hunc modum institutae ars et disciplina videtur ita et facta esse et comparata, ut, sive vetustatem, firmitatem, magnitudinem, sive speciem augustam venerabilemque spectes, sive par-tium omnium aptam compositionem atque descriptio-nem, incredibilemque rerum varietatem, iura, leges,

*) In iis, quae *Ex vita sua* refert, Vol. II. p. 409. sqq. ed. Tub. 1812.

instituta, civium ordines et classes, innumerasque res animadverteris, sive denique obversetur oculis Eius ipsius, qui huic tanto muneri praeest, et cuncta unus continet coercetque, *maiestas* atque *sanctitas*, necesse sit horum omnium cogitatio atque consideratio vehementer tibi excitet admirationem, amorem, pietatem.

At illum reipubl. statum, qui fuit liberarum quondam civitatum, maxime Romanorum et Graecorum, facillime comparaveris templis, diis deabusque ab iisdem populis exstructis: quae, ut sint iucunda adspectu, forma pulchra, venusta, nitida, partiumque comparatione ac proportionem apte convenienterque composita, ita tamen omnia in iisdem plana, simplicia, facilia videntur, ut haud sane magno negotio illorum artem et rationem assequare.

Atque ista potissimum rei facilitate et mira perspicuitate quadam mihi quidem videtur factum esse, ut, quae ex civitatum illarum arte ac disciplina adeo essent ad vulgarem hominum captum accommodata, eadem et tam facile inter gentes nationesque, quum de rebus suis cogitare coeperunt, dissiparentur, et tam cupide a vulgo hominum, hominum autem? ino vero etiam eruditorum et philosophorum, arriperentur. Scilicet quae recondita sunt longiusque ab imperitorum intelligentia sensuque disiuncta, eorum semper ad non ita multos pertinuit scientia: quamquam in hac quidem re certe utilitatis et magnitudo et evidentia homines debuit ad saniora impellere.

Video superesse, AA., quoniam initio me esse facturum ostendi, ut, quanta sit principatus praestantia, quam praeclara eius forma ac species, argumentis ex ipsius ratione atque natura sumendis, doceam ac demonstrem. Quorum etsi summa vis est

et gravitas, neque illud a quoquam adhuc ad communem intelligentiam accommodate ita factum esse opinor*), ut a Platone suae reip. imaginem effictam et expressam esse videmus: tamen vereor, ne, si longiore vos morer oratione eaque inutili, benignitate ac patientia, qua adhuc in audiendo usi estis, Vestra prorsus abutar: si quidem, quae videntur restare, ea partim facta esse a me video, partim longe melius atque huic diei aptius posse peragi intelligo. Quid enim opus est, illa aut cogitatione adsequi aut verbis persequi, quum ea ipsa non animi quadam informatione, sed rei veritate expressa, nec mente solum, sed etiam oculis repraesentata nobis atque effecta cernamus? Remp. vultis cognoscere, forma praestanti et egregia, camque, quoad eius per humanarum rerum imbecillitatem fieri possit, partibus suis numerisque expletam? *Nostram* cognoscite: exemplum habetis domesticum, quo vix praestantius ullum inveniatis. Principem cupitis videre, qui tali in republ. omnes boni principis partes impleat, tantumque munus sancte ac religiose tueatur? *Nostrum* intuemini *Regem*: qui summam hanc *Sibi* legem scriptam putat, ut in omni reipubl. administratione *legum potentiora esse quam homi-*

*) Sed commemorandus est h. l. cum omnino propter doctrinae praestantiam et veritatem, tum propter rerum ad hunc locum pertinentium eximiam luculentamque expositionem liber praestantissimus, quem scripsit philosophorum nostrae aetatis facile princeps, *Hegel*, *Naturrecht u. Staatswissenschaft. im Grundrisse*, Berol. 1821. Qui etsi liber, cum acute subtiliterque, tum etiam satis plane atque perspicue conscriptus est, et ita, ut intelligentes adsequi possint: nondum tamen in admodum multorum manus videtur venisse: alioqui non tam inepta multa et falsa undique adhuc in lucem proferrentur.

num imperia appareat. Meministis, AA., *Livii* (II, 1) haec verba esse, ad liberi iam populi Romani peragendas res adgredientis. Nimirum nondum potuit ille aut suspicari aut concipere animo talem praestantiam atque magnitudinem, ut regem ipsum supremam esse reipubl. legem*) cognosceret, neque ullum legibus institutisque civilibus firmitus quaesitum esse certiusque praesidium, quam in unius principatu, intelligeret. Neque *Tacitus* (Agric. 3.), historicorum prudentissimus, quanquam is primo statim beatissimi saeculi ortu, *Nervam* *Caesarem* res olim dissociabiles laudat miscuisse, principatum ac libertatem, id tamen quemadmodum vere, legitime, idonee posset effici, assecutus esse videtur: qui quidem, alio loco (Ann. IV, 33) cunctas nationes et urbes commemorans aut a populo regi aut a primoribus aut a singulis, in eam discedit sententiam, ut delectam ex his et consociatam reipubl. formam laudari facilius, quam evenire, vel, si eveniat, haud diuturnam esse posse arbitretur. Videlicet, quam ille reip. formam ita laudat, ut aut effici posse aut diuturnam fore non credat, haec, inquam, forma in nostra republ. evenit, et ita evenit, ut in se ipsa habeat exploratam non modo spem, sed fiduciam ac robur diuturnitatis: si quidem delectam ex tribus generibus et consociatam fas est appellare eam imperii formam, in qua duo reliqua genera ita continentur, ut uni summo generi, velut partes, subiecta sint; harum autem partium auctores summam reip.

*) Haec verba ne quis forte falso interpretetur, quasi regum a me defendantur mera arbitria ac iubido, hoc volui, supremam reip. legem esse principatum ipsum regisque habendi necessitatem.

salutem in eo esse sitam sciant, ut plurima quidem ad illam possint conferre, nocere, novare, turbare rempubl. non queant.

Et possunt quidem civitatum aliae aliis abesse propius ab ea forma, quam in hoc genere quaerimus perfectam omnibusque partibus suis et numeris absolutam: at si qua umquam civitas eam laudem adtigit, nostrae deberi illam et facile intelligimus et nostro iure gloriamur. Cum autem omnino in civitatibus nostris nihil possit neque superius neque sanctius reperiri, quam augusta ipsa persona Eorum, et propter quos populi hac tam eximia publicae vitae felicitate tamque idoneo rerum suarum statu utuntur, et sine quibus nulla potest publica salus cogitari*): videtis iam, AA., ac penitus intelligitis, eam sanctitatem atque maiestatem regum, quantis quamque multis *Rex Augustissimus* noster *Suis* propriisque laudibus ac virtutibus cumularit, quamque praeclare harum virtutum magnitudine immortalique gloria effecerit, ut, quae ipsi per se principi ac regi officia, obsequia, studia praestare nos oportet, ea cuncta *Ille Suo* iure repetere a nobis ac reposcere debeat; fidem denique nostram et voluntatem sic adstrinxerit, ut, si nondum liqueret, principatum praestantissimam esse reipublicae formam, *Huius* tamen *Regis* ductu et auspiciis doceremur, neque aliam vellemus rempubl. habere **).

*) Ille est enim vinculum, per quod respublica cohaeret: ille spiritus vitalis, quem haec tot millia trahunt, nihil ipsa per se futura, nisi onus et praeda, si mens illa imperii subtrahatur. *Senec. de Clem. I 4.*

**) Illius demum magnitudo stabilis fundataque est, quem omnes tam supra se esse, quam pro se sciunt; cuius curam excubare pro salute singulorum atque universorum quotidie experiuntur. *Senec. ibid. 3.*

Nam ille, ex quo legitima successione imperium suscepit, quum *Ciceronis* (de republ. V, 6. Epist. ad Att. VIII, 11.) illud, moderatori reip. beatam civium vitam esse propositam, ut opibus illa firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit, totum ad *Se* transtulisset, nec tam, ut *Senecae* (de Clem. I, 19) verbis utar, *Suam* esse rempublicam, quam *Se* reipublicae, iudicasset: non solum summa semper iustitia, clementia, humanitate*) in cives subditosque usus est; verum etiam civium commodis utilitatibusque ex illo inde tempore sic perpetuo consuluit omnique ex parte prospexit, ut, universa si quis vellet orando complecti, citius se ne singula quidem posse percensere numerando intelligeret. Quae insignis cura quanto difficilior fuit iis temporibus, quae cum turbulentissima, tum magnis parvisque imperiis fuisse infestissima cognovimus: tanto felicius admirabiliusque factum esse scimus, ut, quoniam puncto saepe temporis maximarum rerum momenta vertuntur (*Liv.* III, 27), et multum interest, quo quidque tempore decernatur, suscipiatur, agatur, provida illa et circumspecta *Regis* cura imperium non modo retentum ac servatum, sed auctum amplificatumque sit, ac tanta eidem apud externos quoque collecta et conciliata sit dignitas atque auctoritas, quantam nullo antehac tempore fuisse *Bavarici* nominis constat.

Quid? quod ne illis quidem temporibus summa *Regis* nostri in suos indulgentia emendandae reip. curam unquam deposuit? postea autem quam discendum est ab armis, et pax satis laeta reconciliata:

*) Non minus hominem se, quam hominibus praesse meminuit. *Plin.* Paneg. c. 2.

nulla *Se diutius Princeps Optimus* rerum iniquitate passus est impediri, quo minus statum publicum ad eam adduceret formae perfectionem, quam a civibus tanquam firmissimum felicitatis securitatisque publicae munimentum summa cum acclamatione, laetitia gratique animi significatione esse scimus exceptam.

Qua in reipubl. nostrae constitutione quum omnia apta, praeclara, eximia sint, tum illud inprimis videntur mihi populares nostri praedicare laudibusque efferre, quod non solum singulis civitatibus, urbibus, oppidis reddita sunt Decurionum Collegia, suarumque rerum per ipsas administratio permissa, verum etiam universus populus, mittendis ad id delectis oratoribus, in ipsius publici consilii partem aliquam vocatus est legumque ferendarum societatem. Ac profecto hoc tanto pluris illis faciendum est Regalis munificentiae indulgentiaeque documentum insigne, quanto minus aut necessitas *Regi* ulla tanti tamque late patentis beneficii largitatem expressit, aut hanc quasi prorsus necessariam partem illo perfecto, quem animo informavimus, reipublicae statu contineri intelligimus*). Enimvero, si cunctis ho-

*) Quod cur ita sentiam, alio loco a me exponetur. Intelligendum est autem, me loqui de *optima republica*. Certe institutum illud, quamvis utile et ex saeculi more hominumque nostrae aetatis ingenio profectum, non tamen ita necessaria pars esse videtur *summae reipublicae*, ne in iis quidem civitatibus, quae sunt, ut sine insigni incommodo non possit etiam abesse. Quis enim, quaeso, dubitet, quin in ipso principatu eoque legitimo et hereditario, et in summa ad unum regem collata potestate, ut taceam alia, longe firmiora ac praestantiora saluti publicae veraeque civium libertati quaesita sint praesidia ac munimenta, quam in Ordinum Evocatorum consilio atque auctoritate? Cf. *Hegel* l. l. p. 308 sqq.

minibus, quod ipso divinae doctrinae praecepto iubentur, in omni vita hoc debet propositum esse, ut a dei similitudine non recedant, populorum rectores accedere ad eam similitudinem ita videntur, si, adiuncta ad iustitiam benignitatis beneficentiaeque laude, praeter cetera vitae bona tantum civibus libertatis, arbitrii, potestatis concedant, quantum summa reip. salus ac totius imperii ratio patiatur.

Quod utinam impressum semper insculptumque in animis teneant, quicumque ad usum libertatis concessae demandataeque reipubl. partem capessendam vel evocantur vel constituuntur, ne aut abuti tanto beneficio, aut etiam periclitari in reip. salute videantur. Vos certe, alumni disciplinae nostrae humanissimi, quid patriae, quid reip. salutis, quid *Regi* debeatis *Augustissimo* atque *Clementissimo*, non ignoratis; Vos, qualem quantamque *Illius Maiestati* et *Sanctitati* reverentiam ac pietatem, *Illius* potestati atque auctoritati divinitus constitutae observantiam, *Illius* iussis, decretis legibusque omnibus obedientiam parendique alacritatem praestari a vobis oporteat, dudum apud vosmet reputastis; idque cum antea et vestro quodam pudore sensistis, et nostris praeceptis admonitionibusque didicistis, tum hodierna quoque admoniti oratione, ad vestros usus accommodata, penitus illud animis vestris mandastis.

FRIDERICI SCHLEIERMACHER

ORATIO DE ECCLESIA CHRISTIANA INSTAURATA *).

Spero vestrum fore neminem, viri omnium ordinum ornatissimi, qui miretur, quod in his tertiis restauratae veritatis evangelicae saecularibus coram vobis ego potissimum dicam, qui Zvinglii magis quam Lutheri, a quo tamen hic dies nomen et honorem adeptus est, doctrinae sim addictus. Cuius enim rei memoriám his festissimis diebus pie celebramus, ea Lutheri ac Zvinglii communis est, auctoritatem supremam dico in rebus ad christianam fidem vitamque pertinentibus libris sacris feliciter restitutam, superstitionem operum arbitrariorum et mere externorum profligatam, mediatores fiduciae in deum ponendae praeter Christum omnes excussos, sacerdotii ethnici et iudaici speciem ex cultu christiano penitus sublatam, certaminis ecclesiam inter et rem publicam occasionem et causam omnem ademtam. Neque umquam debebant commercium inter se ecclesiasticum dirimere viri illi generosi divino animo pleni, qui, pari verbi aeterni auxilio, pari animi fortitudine, per tantas tenebras sibi et aliis viam ad lucem secuerunt. Et profecto sollemnibus his recte obeundis male esset consultum, si iisdem in locis nunc quidem Lutherani theses Vitebergenses, aliquot autem annis post Reformati primas Zvinglii

*) Habita a. 1817 in academia Berolinensi et edita in „Oratt. habit. in sollemnibus ecclesiae per Lutherum emendatae saecularibus tertiis in univers. litterar. Berolinens.“

praedicationes Turicenses vel colloquium Tigurinum celebrantes, dissidium istud doctrinae, cuius omnes, qui in argutiis iam non haeremus, dudum piget, de-nuo in hominum conspectum producere voluissent. Neque vero Lutherus aut Zvinglius hodie celebrandus, sed Dei potius O. M. Spiritusque divini opus aeterna memoria dignissimum. Etenim cum non hos solos sed permultos tum per omnes terras omnium ordinum homines taedium perversitatis et turpitudinis sacerdotalis invasisset, cum imagines meliorum obversarentur temporum, Spiritus sanctus emendandae religionis desiderium in animis operatus est; quod nisi ante ipsos religionis restauratores fuisset, certe ne ipsi quidem perficere quidquam potuissent. Itaque plures viri insignes huic multitudini dispersae et velut timidae antesignanos tandem se obtulerunt, Lutherus, Zvinglius, alii. Quae quum ita sint, in imperii borussici finibus, et ubicunque Germaniae Reformati Lutheranis promiscue habitant, illi communia cum Lutheranis ecclesiae emendatae sollemnia numquam detrectarunt; num hoc tempore putatis detrectare fas fuisse, ubi utriusque ecclesiae communionem et societatem sacrorumque unitatem perfectam ita tentari passim videas, ut huic aetati affulserit spes, fore ut patrum dissidia beata tandem sepeliantur oblivione. Qui igitur fieri poterat, ut ego, ordinis nostri decreto decanus constitutus, ob eam quidem rem, quod helveticae confessioni sum obstrictus, vererer, ne hoc die haud satis dignus orator essem?

Attamen praestabat fortasse, si maiores nostri, ut aequa utrique parti esset conditio, saecularibus agendis diem vel ex mero arbitrio constituissent, ne, dum singulare aliquod factum celebratur, quod ad

alteram quidem partem pertineat, alteri autem alienum sit, rei ipsius indoles, ambitus, gravitas parum apte declararetur. Immo, dicam enim quod sentio, licet hoc nemini placitum intelligam, etiamsi, misso utriusque confessionis discrimine, solas res a Luthero et suis in Saxonia gestas consideres, certe hoc die festum saeculare me iudice institui non debebat, quandoquidem Lutherus thesibus suis affixis ecclesiae reformationem nondum erat auspicatus. Neque enim illud satis accurate dici mihi videtur, quicquid exinde Lutherus cum amicis peregerit, ex hoc conamine progressum esse, post quod ipsum, modo curia romana paullo se cautiorem gessisset, motus ecclesiastici omnes sedari facillime poterant. Quid si Lutherus ipse tum non solum cum pontifice in gratiam redire non recusavit, sed etiam pronus ad auctoritatem papalem agnoscendam fuit, quid si tunc etiam miracula apud imagines sanctorum perpetrata candide credidit: nonne Romanae ecclesiae sectator adhuc fuisse vel inter fidelissimos dicendus est? Potius ille mihi dies eligendus fuisse videtur; quo decretalia et bullam condemnatoriam crematurus una cum magistris iuvenibusque Vitebergensibus exiit; qua de re ipse, Nunc demum, inquit, seria agere incipio, anteriora ludus fuere. Et recte ille; hoc enim facto neque Romani de pace amplius cogitare potuerunt, et ipse se in eadem qua episcopus Romanus ecclesia versari nolle expressis verbis declaravit. Verum is est in talibus rebus hominum ardor, morae impatiens; proavi nostri quamprimum cupiebant saecularia reformationis agere, cui ardori quum semel obtemperatum sit, nobis iam nefas est diem mutare.

Quod autem, si rem ipsam spectamus, non satis

videtur idoneum esse, id ipsum nos nostramque hodiernam orationem adiuuvare potest. Postquam enim, quae ad pietatem evangelicam universam pertinent, concionibus per hos dies habitis uberrime et facunde tractata sunt, preces pro ecclesiae nostrae perenni salute fusae, votaue deo dicata beneficiis in nos collatis digna, nobis iam hoc loco et hoc die convenit eam tractare huius argumenti partem, quae universitates litterarias doctrinarumque incrementa propius attingit. Cui proposito memoria earum rerum, quae prid. Cal. Novemb. ante hos CCC annos peracta sunt, facultatem haud spernendam praebet. Etenim si theses, quas beatus Lutherus disputandi gratia Vitebergae affixit, primordia fuerunt restauratae ecclesiae; fatendum est, AA., opus illud in perenne celebrandum ex valvis academicis produsse. Unde exorsi, ubi vobiscum reputaveritis, quantum semper in universitatibus litterariis situm fuerit, ut ecclesia augetur et promoveretur, facile mihi assentiamini, si, missis ceteris omnibus, de hoc uno loco sum disputaturus.

Sunt autem duo potissimum capita, a quibus ecclesiae salus pendet, disciplina, doctrina. Quum primum igitur auctoritati Romanae valedictum est, quod episcopi, qui iidem principes erant imperii, ad unum fere omnes a partibus Caesaris et pontificis stabant, fieri non potuit, ut ecclesia evangelica in Germania exurgens auctoritatem episcopalem tueretur, quamquam id in Suecia et Dania sine ullo ecclesiae damno postea factum est; sed ad principes confugiendum fuit, ubi de vitiis ecclesiae tollendis, de cultu divino meliori instituendo deque universa disciplina sacra ageretur. Nec inde ecclesiae nascenti detrimenti quicquam provenit, quum inter

primordia rerum evangelicarum magistratus libera-
rum civitatum et principes moderato potentiae usui
adsueti, *Fridericus Sapiens*, *Ioannes Constans*,
Ioannes Fridericus Magnanimus rem gererent. Ho-
rum enim constantiae et generositati iuncta erat
probitas et modestia, ille vero idcirco potissimum
sapientis nomine venit, quod sibi ipse non nimium
videbatur sapere. Ergo neque repente neque tu-
multarie res ecclesiasticae novatae sunt, sed quan-
tum sensim populus christianus vi veritatis percus-
sus meliorem cultum sponte optabat. Et sicubi
magistratus aut principes propter res novas laces-
sebantur, sese haec minus intelligere, theologos au-
diendos esse, theologos se audivisse respondebant.
Postea vero res admodum mutatae sunt. Caesa-
rum enim auctoritate suprema diminuta, principi-
busque imperii in regiam fere potestatem auctis,
proceribus, municipiis in republ. administranda hic
illic pars fere nulla relictæ erat, nec quicquam valuit
nisi regum principumque arbitrium, cui ipsa ecclesia
ita tandem cessit, ut nemo facile dicat, quænam illa
apud evangelicos sit, nec, quid in rebus sacris in-
stituendis, servandis, mutandis christianorum coetus,
quid verbi praecones valeant, denique quid princeps
ecclesiae tutor et summus episcopus debeat, quid
non audeat, definire accurate possit. Nec multum
profuit, quod theologo in principum de his rebus con-
silio esse solebant, quia et fortem quandoque ani-
mum aulica aura emollit et frangit. *Lutherus Fri-*
derico Sapienti ne semel quidem confabulatus, nec
ullo inter eius consiliarios munere functus est, quo
fortior in vero dicendo, in dignitate sua et libertate
tuenda fuit. Si vultus instat principis, vel ubi
princeps ipse res sacras minus curat, amicus eius et

minister rerum gerendarum, quis ita ferox fuerit, ut, quod illi ingratum sit, non vitare, quod gratum, non promovere cupiat; salva omnino conscientia, non salva iam puritate et fortitudine animi. Georgius Spalatinus vir fuit doctus, facundus, Luthero amicissimus neque timidus: tamen exempla haud multa enumeres, in quibus ille amicum eiusque causam adiuverit. Lutherus potius acerbe in eum in-
 vectus est, quum Electori manum consiliumque prae-
 buisset ad libellum quendam, quem vehementiorem ipse conscripserat, supprimendum. Quale quum his diebus non facile quisquam audeat, sed omnia om-
 nino in principibus eorumque ministris posita sint, res ita se habet. Princeps esto pius, strenuus, suum cuique tribuens: florebunt sub eo propria sua vir-
 tute ecclesiae; sed christianae fidei contemptor esto, vanae gloriae cupidus, poenis magis confidens quam hominum religioni, iam res ecclesiasticae in peius
 ruent, negligetur cultus divini patrociniū, proavo-
 rum pia institutiones in alium vertentur usum, spo-
 liabuntur ecclesiae, ministrorum verbi divini recta
 eruditio nemini curae erit, hominesque indigni mu-
 nera sacra invadent. Cuius rei flebile exemplum
 ante hanc fortissimam felicissimamque Germaniae
 liberationem vidimus. Immo fieri potest, si prin-
 ceptis rerum theologicarum ultra modum principis
 studiosus certisque opinionibus deditus sit, isque
 vehemens et praepropero ac fervido ingenio prae-
 ditus, ut concionatoribus frenum iniiciatur, quo mi-
 nus sanam doctrinam tradere possint candideque au-
 ditores admonere, et in ipsis ritibus peragendis iusta
 ecclesiarum libertas in discrimine versetur. Nonne
 tandem omnem evangelicam ecclesiam pudebit, in
 singulorum vel paucorum potestate, eorumque ma-

xime, qui in longe diversis rebus quam plurimum versantur, eas res esse positas, quae non humanae auctoritatis sint, sed gratiae divinae adminicula et auxilia spectent per spiritum sanctum iudicanda et ordinanda, qui se pro mensura donationis Christi communem omnibus praestat, nusquam vero principibus proceribusque terrae prae ceteris inhabitare velle pollicitus est. Cui quidem malo iam ea medebuntur, quae Rex noster augustissimus per ecclesiam evangelicam regni sui nuperrime constituit, in hac etiam re gravissima dignum quod imitentur exemplum aequalibus posterisque proponens, presbyteriorum dico per omnes coetus evangelicos institutionem, synodorumque per diversos gradus convocationem, quarum postulata et decreta auctoritate sua firmare principi cuivis probo et iusto, et qui in suspicionem arbitrarii in res sacras imperii nolit incidere, tutum tandem erit. Iam quomodo hic locus ad universitates litterarias pertineat, brevi exponam. Ut enim clericorum conventus legitime constituti disciplinam sacram restituant, salutem ecclesiae, quantum in rebus humanis fieri potest, extra omne discrimen ponant a singulorum vel paucorum hominum mente oriundum, utque omnia nostra desideria accipiant iisque consulant, duabus rebus opus est, primum rectis notionibus, deinde usu et experientia rerum. Et experientia quidem sensim subvenit, dum ecclesiastico funguntur munere; rectae autem notiones, quae usum rerum antecedant necesse est, ubi quaeso communicari, unde animis iuvenum infigi possunt, nisi per institutionem academicam? Quare ea nescio an dicam superbia, qua permulti huius aevi theologi practicam theologiam solent vilipendere, levissima mihi videtur et plane

perniciosa, qua superbia fieri non potest, quin eadem, ex qua orta est, ecclesiae evangelicae conditio humilis et depressa non propagetur atque adeo in peius vertatur. Quodsi beatus ille Martinus tantum coetuum christianorum disponere, musicam sacram instruere, doctrinae christianae compendium usui iuventutis plebeiae aptum conscribere idque prae ceteris fere omnibus scriptis suis carum habere, si cum Philippo suo, cum Pomerano aliisque summae auctoritatis et doctrinae theologis ecclesias per municipia, pagos, vicos, visitare non dubitavit, qualem se etiam Zvinglius in Helvetia praestitit: quam rem tanti viri exercere non aspernati sunt, eius rei doctrinam et praecepta tradere nemine indignum esse potest. Et profecto, nisi Lutherus ea, qua inde ab initiis suis Universitas Vitebergensis excellebat, libertate et ingenuitate rectas auditoribus de muneris ecclesiastici dignitate, de arctioribus cuiusvis humanae auctoritatis in rebus spiritualibus et sacris finibus notiones proposuisset, non ille tanto numero eorum stipatus fuisset, qui audaciam suam adiuvarent opusque reformationis arduum et aleae plenum, cum sese a pontificiis seiungeret, secum aggrederentur: sed paucorum hominum inceptum non modo eventum non habuisset, sed in ipsis primordiis esset oppressum. Imitemur ergo illius aevi homines insignes, resurgat tandem absoluto hoc tertio saeculo ex oblivione et contemptu theologia practica, colatur et augeatur in universitatibus ea potissimum pars, quae tum in exponendis munerum ecclesiasticorum officiis iuribusque iis versatur, quibus ademptis officio fungi nemo nec velit nec possit, tum universae ecclesiae evangelicae recte constituendae et regendae praecepta tractat.

Neque vero huic negotio soli theologi sufficiunt: neque ego hodie solos theologos appello: opus est ad hanc rem iureconsultis, politicis, philosophis. Igitur ad exemplum eius, quae inter Lutherum, Philippum et Hieron. Schurfium fuit, amicitiae et societatis, accedant harum doctrinarum magistri ad opus theologorum, repetatur ius ecclesiasticum evangelicorum ex fontibus theoreticis et historicis, atque ad nostrorum temporum rationem reformetur. Has sibi ineunte quarto hoc saeculo universitates nostrae vices vindicent, dignum labore opus et fructuosissimum futurum.

Pergo ad alteram orationis meae partem, quae est de doctrina. Quippe caput omnis in doctrina novationis id fuit, quod Zvinglius et Lutherus commune et consuetum genus demonstrationis et refutationis theologicae ex locis patrum et doctorum omnino declinabant, et si quis redarguere vellet, solam scripturam controversiarum iudicem deposcebant. Quod mirum quantum in omnibus, qui reformationum causae favebant, sacrorum librorum desiderium et caritatem excitavit, doctioribus praeterea laborem et studium in colligendo, interpretando, comparando positum, quo doctrina theologica ad perfectionem tantam adducta est, quanta olim nemini mortalium obversata erat. Ex hoc enim fonte manarunt, quibus evangelica ecclesia nunquam non insignem se praestitit, artes interpretatoria et critica; in quibus si quis componat quae ab evangelicis partim tentata partim absoluta sunt, quaeque a pontificiis neglecta et omissa, haud difficile erit diiudicare, utra ratio ad doctrinam augendam distinctasque notiones explicandas praestet: quum alteri traditionibus per temporum seriem col-

lectis, quibus dogma unumquodque ad litteram declaratum esse videatur, adhaerent; alteri ex primaevi temporis scriptis, plenius quidem spiritus sancti, sed quae semina tantum dogmatum continerent, ipsa dogmata christianaeque doctrinae compagem struere illiusque aetatis simul iustam imaginem restituere conarentur; praeterea utrum studium theologicum ab aliis studiis, et ab hoc ipso munus ecclesiasticum magis indies praestet segregari, an neminem nisi in bibliis interpretandis probe versatum ad munus sacrum admitti, et philologiam sacram antiquitatum profanarum studio ita prope coniungi, ut sibi opem multiplicem ferre invicem possint. Attamen apud nos quoque haec studia vicissitudines habuerunt, quum haud multo post beati Lutheri mortem tempora longe diversa ab illius sociorumque eius studio et cura libris sacris impensa succederent. Ubi enim officium doctrinae christianae ab omnibus partibus absolvendae et in formam artis redigendae in argutias scholasticas degeneravit, scripturarum, quae istiusmodi argutiis adiumenta nulla praebebant, sana interpretatio non negligi non potuit; nec, qui toti in eo essent, ut in aequalium scriptis et sermonibus verbum aliquod suspectum aucuparentur, christianae antiquitatis investigationem habere in deliciis potuerunt. Ista vero tempora sine dubio tum per se ipsa rerum evangelicarum decrementsa fuerunt, quod virtute post verba, religione post formulas habita, odia, irae, invidiae ecclesiam dilacerarunt: unde malorum quae progerminare ex partium studio solent, nullum defuit; tum, ut solent homines in opposita ruere, ex illo malo aliud longe diversum obortum est, despectum dico christianae doctrinae, cui, dum sibi scilicet lucis di-

vinæ splendorem arrogaret, tantas tamen tenebras doctores scholastici potuerint circumfundere; libidinem dico dubitandi, redarguendi, divina omnia humanis aequandi; lasciviam denique, quaecumque ad revelationem divinam pertinerent, impie deridendi: quae mala non per romanam ecclesiam, sed apud nos quoque priore saeculi superioris parte late sunt grassata. Quem morbum ne quis credat in Germania indigenam fuisse ex studiis theologorum nostrorum perperam divulgatis et ex abusu artis criticae ortum; sed partim ex contagione Gallicae levitatis nobis obrepsit, partim Anglicae superbiae progenies est. Quae enim apud nos viri docti iique theologi ex argumentis historicis et philosophicis dubitaverunt, ea longe alius sunt generis, quam quae aequiparari iocis Gallicis Anglorumque ori magna sonanti possint. Quorsum autem haec dico? Ut vobis non tam demonstrem quam in memoriam revocem, horum malorum neutrum, etsi progressum doctrinarum religionem spectantium turbaverint aliquantum et retardaverint, haerere in ecclesia evangelica potuisse. Nostra certe aetas emersit iam ex sceptica ista impietate et hebetudine superba, neque sibi gloriam ex eo quaerit, quod minus religiosa et rerum historiarumque christianarum incuriosa sit. Quae felix immutatio quomodo acciderit, id omnium quae hucusque tractavi proxime ad orationem meam pertinet. Etenim ne in eiusmodi errores inducamur, praesidium, quod quidem absque litterarum detrimento excogitari possit, firmissimum, et, si qui inducti sint, remedium tutissimum in ea positum est docendi discendique libertate, quae universitatum litterariarum per terras evangelicas florentium summum est decus peculiumque pretiosissimum. Pec-

lium dico, quia universitates litterariae reformatione ecclesiae multo antiquiores ex eo tempore in duas species divisae sunt, alteram pontificiorum, quorum universitates magis magisque in similitudinem scholarum coactae sunt, ubi quid cuique docendum, quid discendum sit, legibus cautum regulisque ordinatum est, alteram evangelicorum ea quam dixi docendi discendique libertate nobilitatam. Quae libertas, quamquam favere iis, quae obiter commemoravi, malis videtur, siquidem, et ubi cuivis gradum academicum adepto docere quaevis liceat, multa male iudicata tradi, et ubi cuivis quidvis audire et discere concessum sit, abuti vani iactatores adolescentum imperitia possunt, iuvenesque ad ea, quibus animi vires nondum sufficiant, aspirando sibi ipsi nocere, unde errores nasci et propagari necesse fuerit; tamen haec omnia, praeclaris illis, quae inde nobis provenerunt, bonis comparata, vix ullius momenti habenda sunt. Quis enim vel doctissimus ita sit indefatigabilis, cui non crebra, quae iure docendi arctioribus finibus circumscripto vitari non potest, earundem rerum repetitio taedium docendi pariat, quemque non idem taedium in latebras musei sequatur impediatque, quo minus novis doctrinam repertis augeat? Et si quae doctrinae in diversas partes scholasque oppositas sint distractae, atque altera pars eorum, qui rei publicae praesunt, suffragia tulerit: qui fieri potest, ut, ubicunque libertas docendi restricta sit, altera pars umquam resurgat? Quae causa fuit, cur universitates romanae auctoritati subiectae neque viros eruditione insignes provocaverint, neque ipsas doctrinas emendaverint et provexerint, sed potius, ut traditae erant, imperfectas reliquerint, quemadmodum Aristotelica phi-

losophia, quas cathedras occupaverat, per saecula usque tenuit. Contra vero apud nos doctissimus quisque et sagacissimus, quo latius evagari in doctrinarum campos et quo plures auditoribus doctrinas tradere potest, eo magis, quid ea quam sequitur via et ratio, quid ipsius ingenium valeat, perspiciet, tum etiam ad eam, quam prae ceteris caram habet, disciplinam recens aliquando multisque modis auctus revertitur. Et si quando Principes eorumque ministri institutioni iuvenili praecepti alterutri parti accesserint, nolintque professores nisi secum consentientes constituere: pro altera parte sponte docentes exsurgent iuvenumque animos secum trahent. Cui docendi libertati necesse est libertas discendi accedat, qua nos quidem, qui docendi munere fungimur, ei rei adsuescimus, ut discipulos nolumus in verba nostra iurare, suoque quisque loco iuvenes ita doceat, quasi qui oppositae sententiae deditum de eadem audituri re sint; atque id docendo agamus, ut habeant quod sentiant, non quod opinentur, ne, si crastina oppositae sententiae auditio hodiernam expulerit, incassum laboraveris. Quapropter rebus utimur tanquam exemplis, quibus discere discant, genuinamque indagandi et perscrutandi rationem sibi comparent, sensimque sibi ipsis magis confisi postremo auctoritatis qualiscunque frena exuant. Ipsos autem iuvenes ea libertas ita adiuvat, ut, dum in studiis ordinandis, in magistris, quorum disciplina maxime erigantur, deligendis genio indulgent, quasi in maiori vitalis aurae copia coelique serenitate lautius proficiant, et ex iuvenili illa admirandi imitandique consuetudine citius in virile animi robur maturescant. Ex qua magistrorum discipulorumque libertate nascitur ea, quae professoribus cum iuve-

nibus academicis intercedere solet, necessitudo et familiaritas, quae nec magistros senescere sinit, discipulosque paternis consiliis multo magis, quam austeram reverentiam rigorosamque disciplinam emendat et auget. Atque huius necessitudinis luculentum in Luthero exemplum habemus, quem auditorum Vitebergensium gladiis stipatum Lipsiam ad colloquium profectum, quem auditorum maxime desiderio commotum diutius latere noluisse, sed ex recessu Isenacensi in lucem prodiisse, quis vestrum est qui nesciat? Igitur hanc certe docendi discendique libertatem ea, quam tam enixe et recte quidem postulant, scribendi legendique libertate tanto maiorem, quanto oratio scripta littera efficacior est, mecum pretiosissimam iudicabitis, auditores, eamque gaudete universitatibus nostris ita insitam et infixam esse, has ut destruere possis, conservare demta docendi libertate non possis. Quod ipsis civitatum rectoribus adeo persuasum fuit, ut, si quis eorum severitate animi ductus in mores iuveniles iustamque et suavem libertatem paullo acrius animadverteret, libros imprimendos censorum arbitrio castigandos daret, populi pios doctores regulis iniquioribus obstringeret: ne is quidem academicae docendi libertati quicquam sit detrahere ausus. Quam ut per omnes temporum vicissitudines fortiter tueamini, quum non opus sit vos admonere, hoc tamen monere meum est, ut et ipso huius libertatis nomine ecclesiae reformationem nobiscum celebretis, utque hoc die gravissimo sanctissimoque vos religiosissime obligetis, vos ea libertate uti ita velle, ut recta rerum divinarum humanarumque cognitio, bonorum cuiusvis aevi hominum assiduitate, fortitudine, veritate

parta, quantum in vobis est, integra in perpetuum servetur et propagetur.

Igitur ecclesia evangelica, tantorum quae recensuimus honorum mater, legibus et institutis sapientibus temperata et confirmata, per quantum hoc saeculum longamque saeculorum seriem floreat crescatque, divinae patris aeterni providentiae, servatoris nostri imperio coelesti, sanctique spiritus faustae directioni a nobis quoque hodie commendata. Quam precor ut reges principesque et liberarum civitatum magistratus benigno animo tueantur et augeant, eiusque praecepta ipsi obedienti animo colant et observent; neve illi, si quod ex ulla parte periculum immineat, viri fortes et strenui umquam desint; sintque precor omnes per omne aevum evangelici theologiae doctores coetuumque pastores beati Lutheri similes, verbi divini magistri et distributores iusti, hominis autem praecones et asseclae nullius. Quod ut fieri possit, stent incolumes dignitate sua universitates litterariae, arces libertatis et eruditionis, christianae veritatis propugnacula, ementiantur grandiores indies doctrinarum ambitum, quamque sui iuris fecerint bonarum artium, humanarum historiarum, iustarumque notionum copiam, in usum ecclesiae nutricis convertere numquam desinant. Quod, quum in universum omnibus optem, huic imprimis nostrae novissimae contingat, quae auspicio augustissimorum huius imperii regum, in eorum, praecipue vero in clementissimi conditoris sui honorem locum, quem occupare coepit, fortiter teneat, alumnorumque numquam non copia abundet, qui viri docti piique evadant, ecclesiamque et patriam grato animo colant.

GEORGII GUILIELMI FRIDERICI HEGEL

ORATIO DE LIBERTATE EVANGELICA *).

Mandatum mihi est a senatu amplissimo, ut solennitatis, qui diem hunc festum regia auctoritas celebrare universitati huic litterariae permisit, occasionem et causam renuntiarem. Nam ipsum illud immortale facinus, cuius memoriam animo repetimus, quum in profitenda et stabilienda religionis doctrina versatum sit, praeter ceteros ad venerabilem universitatis nostrae ordinem theologorum pertinere, eumque praecipuam huius solennitatis partem sustinere fas esse visum est: cuius spectabilis Decanus digne et erudite rei gravitatem nos edocebit eamque in animis nostris altissime imprimet. Veruntamen illa res Augustae non a consessu doctorum theologiae et antistitum ecclesiae peracta est, qui doctam disputationem inirent, deinde quid verum esset decernerent, gentemque profanam id ratum habere eique fidem et obsequium praestare iuberent. Sed vis eius diei haec praecipua fuit, quod principes civitatum urbiumque imperii consules doctrinam evangelicam e superstitionum, errorum, mendaciorum, omnis denique generis iniuriarum et flagitiorum mole tandem restauratam, iam perfectam esse, utraque ancipitem disputationis fortunam utraque arbitrium et quodcunque imperium positam, remque divinam

*) Habita in sacris saecularibus tertiis traditae confessionis Augustanae ab universitate regia Berolinensi d. 25. m. Ian. a. 1830 rite peractis, et edita eod. a. ibid.

a se susceptam esse, declaraverunt. Qua re laici, qui antea fuerant, licere de religione sentire edixerunt, nobisque hanc libertatem inaestimabilem vindicarunt. Itaque mihi hanc solennitatem incipere iusso, si de re ipsa verba faciam, dicendi quidem facultatis meae exiguae excusatione opus est. et indulgentiam vestram, AA., expetere me oportet, sed proderem libertatis illo, quem celebramus die nobis vindicatae causam, si ideo excusationem inirem, quod, homo laicus qui sim, de re ad religionem pertinente disseram. Ea mihi potius solennitatis pars commissae esse videtur, quam lubenter suscepi, ut parta facultate utamur, possessionem palam declarem et testemur. Quam ob rem de hac ipsa libertate ceteris, qui theologi non simus, comparata mihi dicendum esse putavi.

Fuit enim pridem ista christiani orbis conditio, ut in duos ordines esset discissus, quorum alter libertatis per Christum nobis comparatae iura et administrationem arripuisset, alter ad servitutem detrusus huius libertatis ipsius mancipium esset. Libertatem autem christianam eam esse intelligimus, ut unus quisque dignus declaratis sit, qui ad deum accedat eum cognoscendo, precando, colendo, ut negotium, quod sibi cum deo sit, deo cum homine, quisque cum deo ipse peragat, deus ipse in mente humana illud perficiat. Neque cum deo aliquo negotium nobis est, qui naturae affectibus sit obnoxius, sed qui sit veritas, ratio aeterna, eiusque rationis conscientia et mens. Hac autem rationis conscientia deus hominem esse praeditum voluit, atque ita a brutis animalibus diversum, ut sui esset effigies, atque mens humana, quippe aeternae lucis scintilla, huic luci pervia. Ideo porro, quod homo sui esset

imago, deus humanae naturae ideam sibi vere inesse mortali generi palam fecit, atque amari se ab hominibus et permisit et voluit, eisque sui adeundi infinitam largitus est facultatem ac fiduciam. Summum igitur hoc, quod homini concedi potuit, bonum ei denuo ereptum fuit; namque intimum animi adytum, qui eius sanctae communionis solus esse potest locus et occasio, terroribus et commentis inquinatum, foedisque superstitionibus obrutum fuit, quibus quasi muro aeneo commercium illud interceptum est. Hi cancelli, inter deum et animum eius accedendi desiderio flagrantem interiecti, fons et origo servitutis fuerunt; amor enim divinus liberum et infinitum est commercium, quod, quum finibus impeditur, in eiusmodi consortionis naturam redigitur, quae inter mortales esse solet, sanctaeque res in rerum vilium, quas manu possidere, vi et armis continere, immo emere et vendere possis, conditionem pervertuntur. In eiusmodi consociatione dominio, arbitrio locus est; ibi quaecunque animis, a libertate divina alienis, insunt, ambitio, regnandi libido, avaritia, odium, omnisque tyrannidis et discordiae genus nascitur. Itaque in gremio libertatis christiana gens in dominos et servos divisa est, perque hanc legem imperium impietatis penitus invictum et perenne redditum esse videbatur.

Hos vero carceres perfregit vera dei conscientia amorque eius infinitus, redditusque est homini liber ad eum accessus. In illo Augustano conventu se servitutem exuisse et abdicavisse se ordine laico, ut theologi se ordine clerico abdicaverant, atque hos ordines omnino abrogatos esse, revera promulgaverunt procures Germaniae suo et populorum nomine: itaque prævum illud schisma, quod non de

quorundam hominum fortuita auctoritate certamen fuerat, neque ecclesiam modo sed ipsam religionem turbaverat, immo perverterat, sublatum fuit. Interfuerant quidem etiam antea principes conciliis, ut famoso illi concilio Constantiensi, sed non ut ipsi sententiam ibi dicerent, sed ministrorum instar adessent, qui decretis doctorum subscriberent, deinde carnifices eorum decretorum vim sanguinolentam re, id est, caede exprimerent. Caesar autem, qui conventui Augustano praesidebat, non aequali iure neque eadem libertate, id est, non divina auctoritate egit. Carolus ille quintus, cuius regna tam late patuerunt, ut sol in illis non occidere diceretur, idem ille qui paucis ante annis urbem Romam, sedem pontificis, exercitui expugnandam, diripiendam, comburendam, omni lasciviae et ludibrii in ipsum pontificem genere deperdendam permiserat, is tum Augustae tutorem ac patronum ecclesiae, id est, satellitem pontificis se profitebatur, pacem in ecclesia restituere sibi in animo esse ita declarans, ut pristinam servitutem minaretur, contentus istis ambitionis, cruentis, libidinosi ex orbe terrarum et urbe Roma et ipso pontifice captivo reportatis manubiis, sed gloriam immortalem spoliis opimorum e tyrannide contra religionem usurpata reportandorum aliis relinquens, surdus ille, quem lateret deum ipsum *sursum esse*, eiusque esse illam *tubam*, quae iam *mirum* christianae libertatis *sonum spargeret*, — impar ille sancto aevi sui ingenio.

Sed ut ii, quos sonus ille pervaserat, qui se iam emancipatos sistebant, liberi, non liberti essent, id in eo positum fuisse apparet, ut principes populorum et urbium consules rei praeessent. Qui enim e superstitionis vinculis modo evaserunt animi, illi

fieri non potest quin ea legum et civitatis ratione, quae ad pristinae religionis normam conformata est, adhuc premantur. Neque enim religio in recessu mentis contineri et ab agendi ratione et vitae institutione secludi potest; tanta eius est vis et auctoritas, ut, quicquid ad humanam vitam pertineat, complectatur et moderetur, ideoque reformata religione, civitatis quoque et legum morumque rationem reformari oporteat. Itaque novae sane res erant, quas Lutherus noster molitus fuerat. Sed quum principes et magistratus civitatum illi essent, qui Augustanum negotium solenniter peragerent, hoc testimonio declaratum est, rem publico consilio et voluntate, non per vim multitudinis esse confectam, neque legum et principum maiestatem et auctoritatem oppressam, sed legitimo ipsos civitatum statui et obsequiosis populis praeesse.

In quo quidem nonnulli sunt difficiliores, cum docere instituunt, a perfecta re initium esse discernendum, quod etsi eventus et finis in rem legitimam converterit, non minus crimine dignum fuisse contendunt: vere illi quidem negantes, coeptum Lutheri simpliciter ad doctrinam pertinuisse, nec contra leges, quae antea valuissent, quicquam esse actum. Quin hoc ipsum seditioni proximum esse clamant, si illi rei latebras quaeras ac speciem iustitiae ita praetendas, ut iudicium de ea ferendum ad eventum reiicias, et pro nocente habeas eum, qui succubuerit, pro iusto, qui vicerit; itaque si victrix quidem illa causa deo placuerit, his Catonibus scilicet displicebit, quia victa olim legitima fuerit. Haud dubie gravissimum est, quod isti praecipiant, civibus nihil sanctius esse debere, quam obedientiam legibus praestandam et reverentiam atque fi-

dem principi suo servandam. Verum de eiusmodi disputatione illud afferre liceat, quod Cicero (Off. I, 41.) de Socrate et Aristippo dixit: *Neutiquam, ait, quemquam hoc errore duci oportet, ut, si quid illi viri contra morem consuetudinemque civilem fecerint locutique sint, idem sibi arbitretur licere; magnis enim illi et divinis bonis hanc licentiam assequabantur.* His autem, quae Cicero magna ac divina bona esse praedicat, quanto maiora et magis divina sunt ea bona, quibus recuperatis laetamur; quanto igitur magis legitima et iusta fuit illa licentia, qua Lutherus eiusque amici, nec hi solum, sed cum iis principes et magistratus, multa, quae in iure civili pridem iusta et legitima habebantur, mutarunt et innovarunt. Videant potius, qui opus religionis evangelicae restituae eo, quo diximus, modo criminantur, ne contra Lutheri seditionem verbosi, de suo erga leges et magistratus obsequio et fervore ideo glorientur, quod veritatem divinam esse omnino negent, omnemque religionis doctrinam commentis et opinionibus hominum accenseant.

Idem illi sunt, qui ob eandem causam aegre ferunt, in conventu Augustano professionem *doctrinae* factam esse, ita enim eos, qui se liberos esse declararint, catenas mutasse tantum: censent enim, nulla esse veri praecepta, nec nisi suas cuique opiniones certas esse volunt, et libertatis esse, ab ea, quae communis est, doctrina dissentire. Qui cum per illam *Magnam Chartam*, qua ecclesia evangelica se conditam et constitutam esse promulgavit, eidem vincula iniecta esse criminantur, obliviscuntur, in communione per illam fundata hoc indefessum studium diligentissime tum manu et oculis tum cogitatione, quicquid est rerum divinarum humanarumque,

perquirendi progenitum, inde nihil ab ingenio intentatum intactumque relictum, inde omnium disciplinarum, liberalium artium litterarumque genera mortalibus reddita, nec reddita solum, sed novo et infinito ardore refecta et aucta esse, perennique quotidie vigore augeri, crescere, ea simul libertate, ut haec studia a quovis adiri possint, ea necessitate, ut quisvis ad id, quod iustum, quod verum, quod divinum sit, sua sponte cognoscendum undique invitetur, impellatur, incitetur. Sed mitto ulteriorem de vinculis, quae doctrinae qualicunque publicae inesse perhibent, disputationem, quae tum propter difficultatem rei longius me abduceret, tum, quia multiplici suspicione et invidia referta iam est, tristior esset et parum conveniens huius diei laetitiae. Hoc sufficiat monuisse, uberrimam illam segetem neutiquam a serva scaturigine progigni potuisse. Quanta autem vis praeceptis religionis tunc restauratis ad corrigendas leges et instituta civilia insit, iam eo tempore, quo res coepta est, tum vero nostris diebus singulariter apparuit. De hac evangelicae doctrinae natura, quae ad id, quod nobis tractandum propositum fuit, pertinet, accuratius disquiramus.

Ac principio quidem schisma illud, quo animi sancta penetralia inter se ipsa dissidebant, atque respublica in duplicem potestatem civilem discissa erat, abolitum esse videmus; reipublicae licere auctoritate divina unam in se esse intellectum est, atque civitati civibusque sua iura, honestatisque praecepta divinitus esse legitima. Potestas principum reconciliata est cum ecclesia, dum illa consociatur cum divina voluntate, haec dominatus iniuria sese abdicat. In quo illud maximum censendum esse reor, quod non fortuita et externa quaedam

principum et theologorum ea pactio fuit, sed religionis ipsius atque civitatis praecepta et intimae rationes germana veritatis pace coaluerunt. Quod fundamentum tum iactum procedente tempore uberius se ita explicuit, ut tandem (nam id quidem nonnisi lentius fieri potest) in omnem vitae humanae disciplinam et omnium officiorum praecepta sese insinuaret atque informaret.

Revocemus igitur in memoriam, AA., quae vitae humanae officia sint, deinde quae doctrina veteris ecclesiae illa oppugnaverit, immo perverterit. Sunt autem illa omnibus cognita, primum, quae ad familiam pertinent, amor coniugum, parentium et liberorum mutuus, deinde iustitia, aequitas, et benivolentia erga alios homines, diligentia et probitas in re familiari administranda, denique amor patriae et principum, qui illis tuendis vel vitam profundi iubet. Quarum virtutum immortalia exempla, quae Graeci et Romani nobis admiranda et imitanda reliquerunt, ecclesiae patres fuerunt, qui splendida vitia fuisse edixerunt. Itaque his virtutibus iustique et honesti legibus ecclesia romana aliam vitae rationem, *sanctitatem* scilicet, opposuit et praetulit. Et primum quidem illud sane demus, virtutem christianam, quae ex amore dei proficiscatur, longe praestantior et sanctior esse illa, quae non ex eodem fonte manarit. Verumtamen illa officia, quae ad familiam, ad commercium, quod hominibus est inter sese, quaeque ad patriam et principem spectant, illa igitur ipsa contendimus ac tuemur a voluntate dei proficisci, virtutesque, quae ad illa pertinent, pietate christiana, id est, amore divinae voluntatis potius confirmari, neutiquam vero per eam contemni, vilipendi aut abrogari. Haec autem of-

ficia et virtutes infirmantur et evertuntur iis, quae ecclesia Romana sanctitatis praecepta declaravit et hominibus suis imposuit; quae, ne sermo noster vagus et vanus videatur, singula nominemus.

Voluit itaque ecclesia, *carere coniugum et liberorum caritate atque pietate* sanctius esse matrimonio. Ad quam societatem, quum natura impellamur, bruta quidem animalia in eo, ad quod natura feruntur, consistunt, sed hominis est, illum impetum ad consortionem amoris et pietatis transformare. Profecto veteres dum Vestam aut lares ac penates familiae praesidere rati sunt, rectius in ea divini aliquid inesse senserunt, quam ecclesia statuit in contemptu matrimonii inesse praecipuam quandam sanctitatem. Mittamus mentionem facere, qui ex illa sterilitatis lege mores profligatissimi progeneriti sint; quum satis quidem constet, inter clericos, qui isti sanctitati addicti essent, quam plurimos eosque summae auctoritatis et dignitatis fuisse homines libidinosissimos et palam dissolutissimos. Hoc enim vitium non legis ipsius esse contenditur, sed humanae libidini et pravitati tribuitur. Verum quae officia deus hominibus iniunxit et quae sancta ipsis esse voluit, ad omnes pertinent, seque amoris omnium ordinum aequaliter patere vult; ex illa autem sanctimoniae lege quum id consecuturum esset, quod sane est ineptum, ut toti generi humano matrimoniis interdiceretur, tum vero omnis honestatis et morum disciplinae fundamentum convellitur, quod in pietate familiae constat esse positum.

Deinde *paupertatem* sanctam esse virtutem ecclesia praecepit; itaque dum industriam et probitatem in re familiari tuenda et administranda diligentiamque in acquirendis bonis, quae tum vitae susten-

tandae necessaria sunt, tum aliis adiuvandis inseruiunt, vilipendit, labori inertiam, ingenio socordiam, providentiae et probitati incuriam ita praetulit, ut clericis per paupertatis votum seu potius mendacium licentia avaritiae et luxuriae acquireretur; scilicet ut ipsi soli pecuniosi et omnium divitiarum, quas stulte atque adeo impie compararent alii, possessores essent, ideo divitiarum possessio et comparatio condemnata est.

His duobus praeceptis tertium adiunxit haec ecclesia, coronam omnium, *coecitatem obsequii*, et *servitutem mentis humanae*, ita ut amor dei nos non ad libertatem perduceret, sed ad servitutem detruderet, ad servitutem aequae in minimis rebus, quae casui et arbitrio cuiusque permissae sunt, atque in maximis, id est, in scientia eius, quod iustum, honestum, pium sit, et in instituenda atque gerenda vita; — scilicet ut privatam vitam et rem domesticam regerent, et reipublicae principumque domini essent ii, qui se servos, immo servorum servos esse, devoverent.

Quis, qui miti et benigno sit animo erga secus de religione sentientes, qui odium, quod religionis causa tam diu et tam immaniter populos agitaverit, sopiri tandem cupiat, nec sopitum denuo expergefieri, quis igitur neget haec, quae dixi, esse praecepta ecclesiae romanae, ea omnem vitae humanae rationem amplecti, iisque omnem eius iustitiam et honestatem turbari et pessumdari. Itaque non solum illam sanctitatem, cuius titulum sibi sumserat romanus pontifex, sed ista graviora, id est, nocentissima sanctitatis praecepta abolita esse, a civitatum rectoribus Augustae declaratum, itaque civitatem cum deo, deum cum civitate reconciliatum esse promulgatum est. Tunc dissidium, quo leges iusti

honestique hominibus quidem, sed deo aliud quiddam placere putaretur, compositum, tunc illa ambiguitas et duplicitas sublata, cuius ope perversi homines criminum et iniuriarum veniam sibi poscerent, probi vel ad seditiones et scelera vel ad ineptias et socordiam adducerentur; tum demum divinae voluntatis conscientia diversa a conscientia veri et iusti esse desiit.

Neque legum in animis hominum firma fiducia esse potest, nisi persuasum habent, eas religioni non modo non repugnare, sed etiam originem inde ducere. Quamvis enim nostro tempore plurimi iique magna auctoritate et ingenio praediti eam demum veram sapientiam esse detectam putent, quae religionem a civitate separet, graviter hi tamen in eo errant. Quod enim in animis firmissimum atque summum, omniumque officiorum unicum principium esse, apparet, dei notio est, ut, quod inde non pendeat neque specie voluntatis divinae sancitum sit, id a casu aut arbitrio cuiuscunque aut violentia proficisci videatur, neque vere obligare ac religare homines possit. Unde imprudentia eorum non satis reprehendi potest, qui institutorum legumque civitatis reformationem fieri posse putent, vera religione, quacum hae consentiant, non restaurata. Divinae libertatis recuperatae eiusque solius fructus est libertas et iustitia civilis; istorum, qui hanc rei naturam intellectu non assequuntur, errorem terribilis magister, eventus rerum, nostra memoria graviter redarguit. Vidimus enim per omnia catholici orbis regna, quorum nobiliores cives iam verior eius, quod honestum et iustum est, scientia pervaserat, instaurationem legum civitatis et morum tentatam esse, sed vel consentientibus vel dissentien-

tibus principibus, dissentiente autem religione, ausa illa iam ab initio suo foeda, deinde omni criminum et malorum genere obruta esse et denique cum acerbissima auctorum ignominia irrita cecidisse.

Nobis quidem divina providentia id contigit, ut religionis, quam profitemur, praecepta cum eo, quod civitati iustum sit, consentiant. Hoc tribus abhinc saeculis principes et populi Germaniae inchoaverunt, deinde quum partim ipsi partim eorum posteris longis bellorum cladibus et miseriis illud immensum et diuturnum depravatae religionis christianae flagitium expiassent, tandem in tuto collocaverunt eam, quam nobis pretiosissimam hereditatem reliquerunt, concordiam civitatis et religionis liberam, et religionis quidem evangelicae, cuius illam propriam esse diximus. Qua concordia illud efficitur, quod nostris temporibus praecipue ad salutem communem profuisse gaudemus, ut, quae ad augendam libertatem, ad emendandas leges, ad instituta civitatis uberius et liberalius excolenda ingenium detexit et rerum necessitas adduxit idonea atque utilia, ea sine motibus intestinis et criminibus, tranquille, auctoribus illis ipsis, penes quos summa potestas est, per ipsorum intelligentiam atque benivolentiam perfecta sint. Quod cum maximum sit, illud addo, quod, si principes nostri pii sint, ea pietas nobis non metuenda est, ut pietas funesta et horribilis ista regum Galliae, qui in cives religioni evangelicae addictos, in viros pariter nobilissimos et ignobiles, caede, rapina, omni atrocitatis genere saeviri iusserunt, immo sua manu saevierunt; pietatis nomen hac infamia contaminantes, quippe qui horum, qui illam committerent, religione sancita esset. Principes evangelici ita se pie agere sciunt, si rempublicam ad iustitiae aeter-

nam normam conforment et administrent, et incolomitatem populo praestent; neque ei dissonam sanctitatem aut norunt aut agnoscunt.

Ita pietas principum fiducia et securitate nos replet, amoremque nostrum iis conciliat. Quodsi in Friderici Guilelmi, Regis nostri clementissimi, die natali quotannis virtutum eius effigiem ob oculos ponimus, et beneficia, quae inde in hanc eius universitatem litterariam redundant, in memoriam revocamus, hodie pietatem eius eximiam, fontem omnium virtutum, laete praedicemus. Quae quum ad cives ipsius proxime pertineat, nosque illam praecipue colamus, veneremur, de ea nobis gratulemur: magnum huic laetitiae et reverentiae id momentum accedit, quod totus evangelicus orbis per Germaniam et quantum latius patet, causam suam interesse scit, quod omnium bonorum hac libertate gaudentium admiratio et fiducia eorumque vota pia nobiscum communia versus Illum diriguntur, quem evangelicae doctrinae eiusque libertatis certum vindicem esse cognorunt. Deum T. O. M. precati sumus et precamur, et precari non desinemus, ut regi nostro clementissimo et domui augustae universae illa bona conservet, augeat, quibus pietatem, iustitiam, clementiam remuneratur perpetuo.

GODOFREDI HERMANN

PRAEFATIONES DE HOMERI LECTIONE *).

PRAEFATIO AD ILIADEM.

Car. Tauchnitius quum artis suae eximium aliquod atque ex omni parte perpolitum specimen edere constituisset, prae caeteris scriptoribus talis monimenti honorem Homero deberi iudicavit. Itaque utrumque poema ex recensione ea, quae et novissima et optima esset, tanta cura impressit, ut praemio proposito provocare ausus sit, si quis aliquid naevi a correctoribus relictum deprehendisset. Quod ea caussa fecit, ut emendatis, si qui inventi essent, erroribus tabulae ex metallo fusae ab omni prorsus mendo liberae fierent. Quod consilium quum omnino est magnopere laudandum, tum maxime in Homero, cuius scriptoris lectionem etsi hodie omnes fatentur ita necessariam esse, ut ea iam puerilem aetatem imbuendam esse concedant, tamen nescio an haud ita multi aut quanta sit eius utilitas, aut quomodo ille, maximam ut utilitatem afferat, legendus sit, satis compertum habeant. Id igitur si paucis explanaverim, fortasse operae pretium fecero, praesertim quum, quod ipse ait,

*τὴν γὰρ αἰοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι,
ἥ τις ἀκονόντεσσι νεωτάτῃ ἀμφιπέληται,*
id etiam in litteris accidere videamus, ut alio tem-

*) Exstant in edit. Tauchnitiana a. 1825 et in Opuscul. viri summi Vol. III. p. 74 sqq.

pore alia magis probentur ac praecipue placeant: veluti nunc, ex quo maiore quodam studio tragoedia tractari coepta est, minorem Homero curam impendi animadvertimus: non recte, et, si quid video, ut ne tragicorum quidem cognitio tantum, quantum aliter habitura esset, lucri ea re capiat.

Est Homerus graecorum scriptorum multo et facillimus et difficillimus: facillimus delectari cupientibus; difficillimus inquirentibus vel in dictionem eius, vel in res, quas commemorat, vel in carminum ipsorum originem et compositionem. Illa, quibus difficilis est, nunc mittam, dicamque tantum de iis, quae facilia sunt. Haec enim ante sunt cognoscenda, quam ad illa quis possit accedere: fallereturque, qui putaret, initium fieri posse pervestigandis illis difficilibus. Nam sunt illa maximam partem ita comparata, ut ne animadverti quidem difficultas possit, nisi summa familiaritate cum his carminibus contracta. Quae familiaritas paratur recte legendo. Est autem recte legere scriptorem, ita legere, ut eum sic intelligamus, uti ipse intelligi voluit. Atqui poeta epicus delectare vult narrando. Idque Homerus ita facit, ut nec quae narrat obscura sint, nec dictione utatur impedita. Refert enim vel sibi ipsi visa, vel ab aliis accepta, vel vulgo credita, eaque sic, ut ipsum iis fidem habere pateat. Dicendi genus autem, quo utitur, ita plenum et simplex est, ut neque in constructione verborum, neque in sententiis quidquam sit, quod morari lectorem possit, nisi forte vel significationes verborum quorundam, vel temporum modorumque ratio, vel vis particularum. Verum ne haec quidem magni momenti sunt. Nam verba illa plerumque talia sunt, ut, etiamsi penitus explicari nequeant, tamen, quid sibi

velint aut quid ad ornatum orationis conferant, facile percipi possit; temporum autem modorumque usus, in quo genere adhuc laborant grammatici, certe non impedit, quin sensus dictorum intelligi possit; denique particulae, quarum ut copia admirabilis, ita eximia ad venustatem orationis vis est, ipsae potestatem suam saepe et multum legenti aperiunt.

Ex his consequitur, quos recte Homeri lectione imbuere volumus, eo perducendos esse, ut, postquam ex tribus quattuorve rhapsodiis formas verborum constructionumque regulas a magistro acceperint, deinde reliqua ipsi oblectationis caussa legere possint. Eoque fine totus iis perlegendus est Homerus: in qua re haec tria sunt observanda: primo, ut id hoc ipso fine, qui est in percipienda carminum illorum pulcritudine positus, faciant; deinde, ut, quantum fieri possit, perpetua sit lectio, neque ad alios scriptores divertat: denique ut saepius legant Homerum, totumque imbibant: quod eo facilius fit, quia, quo saepius illa carmina legimus, eo magis animum retinent, magis magisque patescentibus innumerabilibus illis virtutibus, quae ubique disseminatae non nisi paullatim animis sese insinuant.

Horum singula quid prosint, paucis declarabo. Ac quod primum posui, non alio fine, quam oblectationis caussa, legendum esse Homerum, id eiusmodi est, ut non solum iucundam reddat eam lectionem, legentemque retineat atque ad repetitionem legendi invitet, sed etiam ut eum doceat illud ipsum cogitare ac sentire, quod cogitari sentirique voluit poeta. In qua re egregium adiumentum est recitatio versuum, quae fit alta voce et ad leges numerorum: quos non volo pedes intelligi, per quos pueri versus scandere

discunt, sed membra, incisa, ordinesque numerorum, in quibus simul et metrum, versus heronci, et caesurae, quas verborum interpunctiones fieri iubent, rite notantur: quod sic denum divina vis et virtus quum numerorum, tum, quibus illi ornandis inserviunt, sententiarum apparet. Quod autem dicebam, illud ipsum, quod voluisset poeta, neque aliud quidquam cogitandum sentiendumque esse, quod hac ratione optime facillimeque consequimur, id non leve quid, sed summum maximique momenti esse putandum est. Nam in ea re denique omnis iusta scientia continetur, neque aut interpretatio aut intelligentia scriptoris appellari potest, quae aliud quam illi in mente erat amplectitur. Id igitur quo tandem in scriptore melius faciliusque discatur, quam qui est maxime omnium planus et simplex, neque aut res continet obscuras atque ambiguas, aut dictione utitur alia, quam quae maxime est humanae naturae conveniens? Quod secus est in iis scriptoribus, qui vel propter rerum, quas tractant, subtilitatem aut implicationem, vel propter orationis genus exquisitum variisque figuris distinctum, largam praebent et dubitandi materiam et occasionem errandi.

Secundum est, ut lectio sit perpetua, neque interpelletur aliorum lectione scriptorum. Apertum est enim, quo quis plura simul tractet, eo magis distrahi attentionem animi rerum varietate, impediri que, quo minus ea percipiat, quae propria singulorum sunt: quo fit, ut confundantur omnia ac permisceantur, nec distingui, quae diversa sunt, possint. Quod a plerisque non satis animo reputari videmus. Unde et in puerorum institutione multum in hoc genere peccatur, et qui maturiore aetate ipsi sua

studia regunt, rari, qui recte cognoscere laboraverunt, eo pauciores hodie reperiuntur.

Tertio denique, quod maxime est, ut repetatur lectio. Nam prima, scilicet scriptoris lectio vix aliam habet utilitatem, quam ut imaginem aliquam scriptoris animo concipiamus, non ut eius ingenium penitus cognoscatur: neque omnia, quae ei propria sunt, quibusque differt ab aliis scriptoribus, percipi, sed notari tantum, ad quae potissimum attendere debeamus, possunt. Quarum rerum copia augetur repetenda lectione, quoque saepius repetitur, eo magis in animum lectoris penetrat scriptoris ingenium. Id autem ut in Homero consequantur, qui antiquitati studia sua dedunt, non solum propterea necessarium est, quia quum caeteri scriptores omnes plus minus ex Homero tamquam ex communi fonte hauserunt, tum linguae graecae omnis ratio quasi radices suas in hoc poeta habet, sed etiam, quod summum est, quia per huius lectionem simplicitati illi adsuescimus, quae fundamentum est verae accurataeque scientiae. Nulla enim in re saepius et gravius periclitari veterum scriptorum interpretationem videmus, quam quod simplicibus impedita, planis contorta, apertis obscura, ultro se offerentibus quaesita, propriis aliena praeferuntur: quod quid denique aliud est, quam vera posthaberi falsis? Idque commune est vitium omnium, qui discendi initium iis scriptoribus legendis fecerunt, qui longius ab naturali Homeri simplicitate absunt: ita ut in interprete vel critico, quemcumque ille scriptorem tractet, facile cognoscas, utrum ab Homero ad alios scriptores progressus sit, an ab his ad Homerum, pervenerit. Atque haud scio an perpauci hodie inveniantur, qui in hoc genere rectam sint viam ingressi, in iisque etiam

eorum nonnulli, qui in ipsius Homeri interpretatione elaborarunt. Quo magis id velim omnibus, qui antiquitatis studia amplectuntur, curae cordique esse, ut sic demum se recte his litteris atque utiliter operam daturos putent, si summi illius poetae carminibus ingenium suum ad simplicitatem, quae praestantissima illorum studiorum adiutrix est, conformaverint.

PRAEFATIO AD ODYSSEAM.

Dixi in praefatione ad Iliadem, quomodo legendus esset Homerus, si quis idoneam cum eo familiaritatem vellet contrahere. Nunc paucis indicabo, qua ratione procedere debeant, qui eum accuratius pervestigare et quam perfectissimam sibi eius cognitionem parare cupiunt. In quo genere dux et signifer exstitit F. A. Wolfius, vir ingenio doctrinaque eximius, quem nuper Massiliae, quo se reficiendae valetudinis causa contulerat, supremum diem obiisse non sine magno dolore accepimus. Qui si non satis habuisset, monstrare viam, et quasi adiutum patefacere ad interiora et magis recondita, sed aut perfecisset quod inchoaverat, aut saltem longius persequutus esset, non exstitissent vani quidam atque inepti homines, qui vel in dubitationem vocarent ea, quorum causas rationesque non erant assequuti, vel male intellecta viri summi sententia ad perversa abuterentur. Nunc non minima pars laboris reliqua est. Ac versatur ea his in rebus: in explicatione atque emendatione grammatica; in solutione quaestionum geographicarum; in diiudicatione quum rhapsodiarum, tum interpolationum. Ho-

rum omnium nihil est, quod non sit plurimis et maximis dubitationibus obnoxium, quia, quae antiqua et genuina carminum illorum forma fuerit, nescimus. Et tamen aut non potest omnino de his rebus indicari, aut indicandum est secundum quamdam eius, quod genuinum sit, imaginem. Eam igitur ut quis animo concipiat atque ita paulatim informet, ut pro regula et norma esse possit, non satis est ea, quae a veteribus grammaticis et criticis tradita sunt, collegisse atque in numero habere: nam his fere etiam incertiores reddimur: sed propter singulas quasque etiam minutissimas res denuo totus perlegendus est Homerus, attentione animi omni in id unum, de quo quaeritur, defixa. Quo id consequimur, ut, quoniam in singulis locis, quippe qui possint interpolati esse, parum praesidii inest, tamen summa quaedam ex multitudine exemplorum conficiatur, quae deinde est accuratius considerata et cum iis locis, qui repugnare videntur, conferenda: quod quum facimus, tum vero adhibendae et scripturae diversitates et adnotationes grammaticorum, ut appareat, quid vel criticorum veterum placitis, vel inscitiae librariorum debeatur. Et hoc quidem praecipue ad res grammaticas spectat: quod genus quamvis diligenter a Wolfio tractatum, tamen nequaquam ab illo aut perfectum est, aut potuit perfici, quoniam et natura inquietior erat, nec severiorem illam philosophiae rationem amabat, qua carere nequit accurata explicatio grammaticae.

Alio modo difficilis est rerum geographicarum, historicarum, et mythologicarum expositio: in qua re maximus error is est, si quis, quae diversis in locis dicta sunt, concordare debere, nec discrepare posse, existimat. Cuiusmodi constantiam, vel si

unus esset. idemque carminum illorum scriptor, requirere ineptum esset, quia, etiam si essent ab uno facta, tamen non eo sunt fine composita, ut unum atque perpetuum opus efficerent, sed et temporibus facta diversis, nec loco omnia in eodem aut coram iisdem auditoribus cantata. Multo magis autem absurdum est, postulare, ut diversorum poetarum narrationes nihil inter se differant. Atqui non esse totam Iliadem aut Odysseam unius poetae opus, ita extra dubitationem positum puto, ut, qui secus sentiat, eum non satis lectitasse illa carmina contendam. Praeterea illud neglectum video, quod multa, quae Homerus narrat, ex aliis antiquioribus carminibus accepta sunt, in primis quod attinet ad res mythologicas: ita ut operae pretium facturum sit, qui sibi proponat, illa omnia colligere et, quantum fieri possit, explanare, atque ita imaginem quamdam adumbrare illius poeseos, quae ante Homerum fuit: quam patet non solum eam intelligendam esse, quae exiguo spatio antecessit, sed etiam vetustissimam illam, quae rerum divinarum atque humanarum scientiam quadam quasi rerum gestarum narratione, fictis pro rei cuiusque natura nominibus, est complexa.

Denique aliud non minus difficile negotium est, quod in poetis eorumque carminibus, ex quibus Ilias et Odyssea compositae sunt, distinguendis, tum vero etiam in explicanda arte diasceustarum eruendis interpolationibus versatur. Quod ipsum ita est comparatum, ut non possit nisi saepius repetita lectione, ~~et~~ ^{semper} aliud atque aliud praecipue spectetur, ~~perfici~~. Sed haec quoque lectio continua sit necesse est, neque interpelletur aliis negotiis, ne elabatur animo rursus, quod comprehenderit, diffluetque atque evanescat illa, quam concipere studeamus,

imago. Eiusmodi lectio quem fructum praeberet, ego ipse expertus sum, quum aliquando Iliadem quater aut quinquies intra paucos dies perlegi, ut nunc rerum, nunc orationis, nunc numerorum, nunc poetarum ingenii totiusque carminum coloris diversitates adnotarem: quae quum deinde inter ipsa comparabam, miram omnium in idem conspirationem deprehendi, ut, quibus in locis initia dissimilitudinis uno in genere essent adnotata, iisdem locis inveniretur etiam in caeteris generibus observata esse mutatio. Horum quaedam exprompsi in epistola ad Ili- genium, quae praemissa est editioni meae hymnorum Homericorum. Sed quid haec memoro, quum in omnium manibus sit Spohnii liber de extrema parte Odysseae, cuius viri morte et litterae magnam iacturam fecerunt, nec minorem amici eius, quorum nemo est, quin aegerrime desideret illam candidissimam animam.

Ista igitur, quam dixi, continuae lectionis repetitione etiam ea, quae difficiliora sunt et laboriosae indagationis plena, erui explanarique possunt: atque ut nonnulla, quod in tot tantisque horum carminum mutationibus non est mirum, semper obscura maneant, at multa tamen ac nescio an pleraque satis clara in luce collocabuntur. Simulque illa legendi ratio hanc vim habet, ut divina illorum poematum suavitas illas inanes subtilitates et vana somnia arceat, in quae solent illi incidere, qui verius locos Homeri, quam Homerum cognitum habent. Nullum enim potentius adversus argutias et deliramenta remedium est, quam verae et fuco non indigentis pulcritudinis assidua contemplatio.

DETLAI CAROLI GUILIELMI BAUMGARTEN-CRUSIUS

DISSERTATIO DE ORATORIBUS GRAECIS, MA-
XIME ISOCRATE, EGREGIAE INSTITUTIONIS
PUBLICAE MAGISTRIS *).

Quod Zeno Stoicus eiusque discipuli praecipere solebant, finem omnis sapientiae, quae in officiorum descriptione versetur, et extremum illud, quod et cogitatione et agendi ratione assequi aliquis possit, esse congruenter naturae convenienterque vivere, et in eo omnem virtutem humanam contineri (v. *Diog. Laert.* VII, 53. τέλος τὸ ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν, ὅπερ ἐστὶ κατ' ἀρετὴν ζῆν. cf. *Cic. Fin.* III. 6. 7.), id uti tota omnium rerum conformatione, in qua singula inter se congrua suisque partibus apta et nexa videmus, unice confirmatur, ita in recte aestimanda et feliciter moderanda iuventutis institutione et verissimum et efficacissimum apparet. Ut enim verno tempore ex seminibus, quae dudum solo condita latuerunt, ad mitiorem auram germina sensim excrescere, deinde actis radicibus raras herbulas prodire, mox felicius eas pullulare, iam favente sole ramos expandi et flores explicari videmus, denique ad maturitatem et fructuum proventum admirabili naturae beneficio rem deduci;

*) Programma scriptum ad memoriam anniversariam dedicatae antehos CCLXXX annos scholae regiae Afranae a. 1833 indicandam, et editum Misenaë eod. a.

ita in excolendo humano ingenio atque ad numerorum perfectionem elaborando ea constantia opus est, quae neque levioere opera defungendum existimet, neque manibus temerario studio immissis festinandum, quod interna lege tardius procedere iubetur, sed, quum expectare eventum didicerit, instare operi et in eodem tenore perseverare sciat. Atque eadem esse solet conditio eorum, qui impatientius rem agunt, quae olitorum est, plantarum incrementa suis artibus supra naturae vires impellentium; eliciunt enim, quae delicatioribus hominibus ad breve tempus placere possint, sed nunquam eam venustatem eamque partium perfectionem procreant, quae vigorem et firmitatem et salubritatem ostendat; adeo vindicare solet neglectum sui natura, quae certis rerum spatiis iustisque temporum intervallis omnia disposuit, quibus recte observatis si quis obtemperaverit, nullo non negotio cum maximo fructu fungetur. Et incidimus in eam cogitationem, quoties, quae de regenda iuvenum educatione et de constituenda scholarum forma recentiore aetate scripta sunt, diligentius consideramus. Ut enim diversissimae hominum sunt sententiae, et ut quisque proxime ad causae iudicium descendit, meliora et utiliora antea dictis proferre cupit, alii ad praecceptas opiniones, quas omnibus pro legibus esse volunt, praesentem statum exigunt, antiquandum existimantes, quicquid a maioribus traditum religiosius servamus; alii pertinaciam nostram criminantur, qui inveteratam docendi rationem obstinatius tueamur, in minutissimis rebus iuventutem detineamus, et in umbraculis nostris secure delitescentes vitam vitaeque negotia non multum curemus; sunt denique, qui gravissima accusatione non modo,

quae publice privatimque utilia sunt, sed etiam, quae divinitus praecepta ad altiora consilia animos humanos erigere spesque nostras ultra huius vitae cancellos extendere debebant, indignum in modum a iuventutis magistris negligi contemnique conquerantur.

At si clamores illos severiori iudicio subieceris, licet nobis antestari, qui iniuriam temere illatam coram iustis cognitoribus vindicent. Apparebit enim, multa vitio nobis dari, quae nostra aetate iam dudum abrogata sunt, alia, quae tenemus, iniqua interpretatione incusari, plurima, si vel maxime reprehendantur, tam bona et utilia esse, ut de certa possessione nullis querelis calumniisque nos deturbari patiamur. Nam quod tardius ad literarum cognitionem iter in scholis nostris designari dicunt, in eo naturae leges sequimur, quae extorqueri vetat, quaecunque lento progressu ad maturitatem efformantur; quod in minutis abstrusisque rebus nos haerere et difficillimis nugis fatigari iuvenilia ingenia vociferantur, id ita verum est, ut rationes rerum bene cognosci, linguae cuiusque leges intellectu et memoria concipi, vires ingenii exouti perpetuaeque exercitatione subigi velimus, priusquam in ampliorem campum illa emittantur, praeterea ut nihil adeo tenue et subtile esse doceamus, quin ad perficiendam recti venustique speciem maxime necessarium videatur; quod antiqua omnia abiicere, novissima quaeque temeraria cupiditate amplecti nos iubent, in eo fortunae generis humani adversantur, quod quamvis per longa tempora multasque et diversissimas aetates ad eam, qua nos vivimus, deductum, unum semper idemque ex iis, quae maiores didicerunt et fecerunt et experti sunt, exempla

agendi desumere debet, comparatisque et causis rerum et eventis, et bene cognita, qua omnis humanitas coniungitur, necessitudine ad maiorem utilitatem et tranquillio rem vitae usum educat. Denique quod Graecis Romanisque nos adeo delectari existimant, ut foedas priscorum hominum superstitiones sanctissimis divinae religionis praecipis institutisque anteponamus; duplicis illi error arguuntur, quum neque cognovisse videantur, quae locupletem omnis sapientiae materiam prudentissimi et honestissimi antiquae aetatis viri in scriptis suis exposuerint, quae ad novum rerum ordinem viam sterneret aditumque muniret, neque recordentur, divinae disciplinae iustum pretium statuere non posse, nisi qui, humana sapientia bene explorata et ad vitae experientiam probata, bonorum malorumque fines recte intellexerit et cum bonis optima, cum malis libus salutaria, cum venustis perfecta conferre possit dixerit.

Et de hac quidem re, ne quis cupidius nos existisse putet, egregie exposuit Reinhardus in praefatione primae ed. ethices christianae, cuius formam illam ad scientiae leges descripsit, praemissa. Diu enim se laborasse libere profitetur in expedienda illa multum agitata quaestione, qua maxime praestantissima christiana morum disciplina ab ea differat, quam antiqui viri sapientes proposuerint, et quam duce ratione ipsi invenerimus. Nam quod dicere solent, quod officia ab illa diligentius perfectiusque definiri, causas bene agendi et puriores et efficaciores proponi, id non exiguae dubitationi locum relinquere. Sive edisserere coneris, quae ab antiquis praetermissa doctrina christiana certius pleniusque praecipiant, non deesse iis, qui de illius laude detrahere velint.

aliquos certe locos non dissimiles, quibus doceri possit, non angustioribus finibus antiquam philosophiam circumscriptam fuisse; sive de rationibus praeceptorum exponas, veteres magistros, maxime Stoicos, tanta animi sublimitate et verborum granditate in iis demonstrandis elaborasse, ut dubitare liceat, utri disciplinae palma adiudicanda videatur. Tandem perlectis, quaecunque antiquitus de morum disciplina scripta superessent, quum ad religionis christianae fontes rediisset, intellexisse se ait, huius praestantiam non in copiosa praeceptorum ubertate neque in honestioribus causis virtutis conspici, sed singularem eius laudem et propriam vim in eo versari, quod homines ad perfectissimum exemplum divinae naturae erigat, eosque ad eam integritatem vitaeque sanctitatem eniti iubeat, quam illi naturae legibus et sanae rationi obsecuti in his terris assequi, qua bene instructi paratique ad meliorem rerum ordinem felicissime transire possint. Ideo ad dei hominumque amorem omnia revocari, et hunc amorem ad immutandam naturae humanae propensionem, ad coercendas cupiditates, ad formandas animi facultates, denique ad regendos instinctus, appetitus, conatus nostros esse efficacissimum.

Sed non minorem laudem Graecis tribuit Fr. Jacobsius in luculentissima orat., quam de Graecia ad omnem humanitatem exculsa (*Erziehung der Hellenen zur Sittlichkeit*) Monachii in publico regiae academiae consessu habitam cum reliquis oratt. et commentatt. Lipsiae a. 1829. edendam curavit (*Vermischt. Schrift. Th. 3.*). At ille in praef. p. XXIV. sqq. existitisse dicit multos, qui, ex nimia scriptorum graecorum admiratione christianae religioni non leve periculum imminere arbitrati, pa-

tres ecclesiasticos iis substituendos, certe aequiparandos existimaverint, alios omnem antiquitatem atrocissimis criminationibus incessisse, et, quicquid a Graecis Romanisque vel turpiter gestum vel flagitiose admissum fuerit, priscae religioni morumque disciplinae tribuisse. Enimvero sibi persuasum esse profitetur, etiam illam divini cultus rationem sapientissimi numinis providentia rem ita instituente et regente necessarium aliquem gradum fuisse, quo genus humanum ad insignius genuinae veritatis fastigium ascenderet, et inter multos errores id tamen omnibus antiquae aetatis hominibus certum et exploratum fuisse, deum esse summum bonorum et malorum aestimatorem et iniquitatis gravissimum vindicem; omnino nullam nulla aetate gentem fuisse, quam abscondita quasi facie deus ita cognitione sui interclusam voluisset, ut ne cogitatione quidem et sensu ad eam se erigere posset. Tum vir ille cel., cuius pietatem vere christianam agnoscunt, quicumque, quae patria lingua scripta edidit, diligentius pertractaverint, eruditionem, etiam qui principatum in antiquis literis obtinent, merito admirantur, et in reliqua parte illius praefationis, tum in ipsa oratione, et in copiosissimis annotationibus, quas appendicis loco illi subiunxit, multis documentis demonstravit, quantum non modo ingenii viribus et naturae felicitate, sed etiam omnium disciplinarum artiumque genere antiqui Graeci fecerint, quomodo et privatae et publicae institutionum consuluerint, quantas laudes non bello magis et fortitudine quam constantia, sapientiae studio, et divina illa mentis commotione, qua incitati honestissima quaeque appetebant, et sibi pepererint et in posterum reliquerint, ut sane iniquum deoque in-

dignum videatur, post tanta eorum in genus humanum merita, quibus adhuc utimur, quibus excitari et ad generosam aemulationem nos incendi sentimus, quum iis adminiculis caruerint, quae singularis numinis divini providentia posteriori demum aetati impertiri voluit, exsortes eos iudicare sanctissimae civitatis, in qua omnes, qui humanitatem strenue coluerunt et exercuerunt, ad aeternam virtutis et praemiorum societatem coniunguntur, praesertim quum ii, qui tam intractabiles iudices agunt, longe feliciore opportunitate et olim et nunc saepe turpissime abusi videantur.

Iam si quis quaerat, quamobrem haec ita disputaverimus, nostram rem agi respondemus, et quam disciplinae rationem ad excellentissima antiquitatis exempla et praecepta scholae nostrae tueantur, contra malignas obtrectiones et calumnias hac scriptioe defendi. Nimirum quum naturam sequi et ad naturae convenientiam se resque suas instituere soliti fuerint antiquae sapientiae praeceptores, fieri non potuit, quin educationi et privatae et publicae eas leges scriberent, quae et simplicissimae et ad permovendos excolendosque animos iuveniles efficacissimae viderentur. Nam quod Xenocrates Platonius dixisse fertur, id se discipulis suis praestare, ut libenter et sponte sua faciant, quod alii legibus demum coacti et inviti facere soleant, id multis, quorum libris hodieque utimur, de se praedicare licuisset; adeo nihil difficile, nihil quaesitum affectatumve praecipiebant, et quum artem docendi vel scribendi cum maxime tractarent, ita eam docebant, ut ne ars illa, sed felicioris naturae proventus esse videretur. Idque multorum, qui de iusta educationis regendae ratione ex industria exposuerunt, animos

convertit, ut aut locos scriptorum graecorum et romanorum, quibus praecepta institutionis iuvenilis continerentur, studiosissime colligerent, id quod a Niemeyero factum est in libro sic inscripto: *Originalstellen griech. u. röm. Classiker üb. d. Theorie der Erziehung u. des Unterrichts. Hal. 1813*, aut ex monumentis antiquis, quicquid inde a primarum rerum memoria de disciplina et institutione praeceptum traditumque fuisset, compararent et ad temporum, gentium, hominum diversitatem examinarent, qua in re insignem operam praestitit *Schwarzius* edito libro copiosissimo, quo de educationis ratione exposuit, et multiplices artes et sententias, quae inde a societatis humanae primordiis usque ad nostram aetatem excellentissimis viris placuerunt, diligentissime descripsit (*Erziehungslehre. Th. I. Geschichte der Erziehung*).

Sed quum illi potissimum philosophorum opes excusserint, tum antiquissimorum, qui et ipsi poetae fuerunt, prudentiae, quae in vita quotidiana et rebus agendis cernitur, elegantissimi gravissimique aestimatores, tum recentiorum, qui ex Socratica schola processerunt, inter quos Xenophontem, Platonem, Aristotelem et Romana aetate Plutarchum locupletissimos auctores esse constat; nobis in alium campum excurrere visum est, nimis diu neglectum et ab interpretibus et a rerum scriptoribus, in quo tamen uberrima messis nos exspectat, oratores dico Atticos, qui, corrupta iam civitate et ad desiderium per luxum atque libidinem pereundi perdundique omnia declinante, per quamlibet opportunitatem erigere conantur labentem disciplinam desidesque homines ad priscam gravitatem et impigritatem excitare, modo maiorum laudes in conventibus publicis

celebrantes, modo eorum, qui pro patria pugnañtes occubuerant, fortitudinem celebrantes ostendentēque, quomodo illi educati instructique eam virtutem animo concipere potuerint, modo castigantes morum perversitatem, iudiciorum iniquitatem, et perniciosam reip. socordiam. Et quum omnium, quos antiqua aetas maxime venerata est, et recentiorum etiam, qui imitati aemulatique sunt Atticos, oratorum actiones cum fecundis fontibus possint comparari, unde, si quis vel negotiis oppressus vel labore defatigatus vel aestu sitique vexatus vel morbi impetu afflictus aut valetudinis medelam aut certe refrigerationem animique remissionem petat; ne subito argumenti copia et sententiarum crebritate obruamur, nunc quidem in uno Isocrate subsistemus, collatis tamen, quae ab aequalibus iisdem de rebus similem in modum disputata sunt. Tametsi enim, ut Ciceronis verbis utar Brut. c. 8., forensi luce caruit, intraque parietes aluit eam gloriam, quam nemo est postea consecutus; magnus ille orator fuit et perfectus magister, cuius domus cunctae Graeciae quasi ludus quidam pateret atque officina dicendi, ex qua, auctore eodem Cicerone de Orat. II, 22., tanquam ex equo Troiano meri principes exierunt. Nescio autem, an tali argumento dignius quicquam et opportunius eligere potuerim hoc ipso tempore, quo memoria anniversaria conditae ante hos CCLXXX annos scholae Afranae celebranda et solemnī scriptione indicenda est. Id enim agimus, ut non scholae, sed vitae apud nos disci ostendamus, ut obtrectatores, qui nugae grammaticas et sordes antiquitatis crepare solent, redarguamus, non quo spernamus minima, ex quibus maxima concrescunt, sed ut appareat, non linguae modo leges et difficiles

de locis corruptis vel deperditis quaestiones a nobis tractari, sed de ingenio cuiusque aetatis cognosci, vitas moresque inspicere, propositisque incorruptis rerum gestarum monumentis intendere animos iuberi adolescentes, per quos viros quibusque artibus domi militiaeque imperia et parta et aucta fuerint (cf. Liv. praef.), quomodo labente disciplina et desidentibus moribus et ipsa magis magisque labantur, tum praecipitia eant, donec nec vitia sua nec remedia pati possint. At si qui inconsultius iudicaverint, iuvenes, quibus haec scriptio potissimum destinata est, ad res publicas vocari et tanquam iudices maximorum facinorum constitui, nae illi vehementer erraverint in cognoscendis adolescentium ingeniis, quos si celare velis, quae nunc in libellis sermonibusque quotidie proponuntur, facile offensos diffisosque tuae prudentiae in contraria omnia ruere videas, at monitos et meliora edoctos abstinere ab ea licentia, quae minores maioresque civitates evertit. Ipsi enim oratores illi, quos iis maximo opere commendamus, optime demonstrant, quid sit libertate uti, quod sine legum auctoritate et civium obsequio fieri non potest, quantum proficiant et quid valeant ii, qui disciplinae severitati non ob poenarum metum sed facile et ultro se submittunt, at vero quae perniciēs ex morum corruptela, nutrice turbarum seditio-
numque, et atrocissimi exitii genetrice exoritur. Praeterea excitentur necesse est illorum exemplis ad rem strenue agendam, ad acuendum formandumque ingenium, et ad exercendam genuinam illam vim dicendi, quae ex veritate animique sensu prognata audientiam sibi conciliat, et docendo, flectendo, commovendo privatae publicaeque utilitati et patriae saluti domi forisque plurimum consulit. Itaque

nostra facimus, quae ipse Isocrates dicit Enc. Hel. §. 5. ὅτι πολὺν κρεῖττον ἐστὶ περὶ τῶν χρησίμων ἐπιεικῶς δοξάζειν ἢ περὶ τῶν ἀχρήστων ἀκριβῶς ἐπίστασθαι, καὶ μικρὸν προέχειν ἐν τοῖς μεγάλοις μᾶλλον ἢ πολὺ διαφέρειν ἐν τοῖς μικροῖς καὶ τοῖς μηδὲν πρὸς τὸν βίον ὠφελοῦσιν, atque ex illius orationibus tum quae ad privatam, tum quae ad publicam institutionem prae reliquis notabilia nobis visa sunt, collecta proponimus.

Et vitae quidem privatae praeceptis locupletissima est paraenesis, quam ille Demonico Hipponici filio inscripsit. Sed quo parcius ea ad nostrum institutum utamur, otium nobis fecit libellus non inutilis, quem *Monita Isocratea* inscripsit et cum Iac. Faëciolati suisque animadvv. edidit Io. Frickius, Gymn. Vimar. Conrect. Ienae 1765, quo qui ad faciliorem lectionem vel ad graece scribendi exercitationes uti velint, haud leve operae pretium facturos esse existimamus. Facere tamen non possumus, quin aliquot locos hic laudemus §. 17—19. ed. Bekk., multis legibus praestantiores. Et cum his coniungenda sunt, quae §. 40. leguntur. Atque eam corporis animique culturam ita sapientissime coniunxerunt Graeci, maxime Athenienses, ut neque membris capti viriumque impotentes aut molles et ignavi in umbraculorum latebras confugerent, quum periculum aliquod ab externo domesticove hoste immineret, aut verba facturi iusta habitus gestusque gratia destituerentur, neque rudes ferocientem rusticitatem ostentarent, sed vitam vere humanam omni elegantia cultuque cerni existimarent. Et illam *gymnasticam*, hanc *musicam* appellare solebant. cf. *Plato* de Rep. II, p. 376. III, p. 400. 410. 412. Et in hac aequabilitate exercitationis et naturae hu-

manae concinnitate, quam prolixa oratione describit Isocr. *περὶ ἀντιδόσ.* §. 180—185., veram querebant *φιλοσοφίαν*, non illam ad scholarum disputationes, quae postea vexarunt magis ingenia quam excitarunt, sed ad vitae usum comparatam, humanitatis disciplinam s. rerum optimarum cognitionem (Cic. de Orat. III, 16.), de qua v. Morus et Spohn. ad Isocr. Paneg. 1. p. 11. Eam Isocr. Paneg. c. 13. (§. 47. Bekk.) praedicat et Atheniensibus peculiarem esse contendit. Tali prudentia qui vitam moderari didicerint, eos solos sapientes merito appellari, idem dicit in orat. ad Nicocl. §. 39.

Haec omnia ita simplicia, ita naturae et omnium rerum et humanae consentanea esse, eademque totam vitae bene instituendae prudentiam ita complecti videntur, ut merito succlames adolescentulo disciplinae tuae tradito: *Nunc adhibe puro Pectus verba puer, nunc te melioribus offer.* (Horat. Epist. 1, 2, 67.) At id ipsum maxime nos vexat, quod non omnes pariter purum illud et illibatum pectus nobis afferunt, quo talia praecepta concipiant. Idem hodie conquerendum, quo primam suae aetatis educationem culpat Quintil. Instit. 1, 2, 6. Et quis tandem, qui generi humano patriaeque suae bene consultum cupiat, non stomachetur, ubi tales homunculos videat, quales ipsi aliquando in epistolis descripsimus, quibus de educatione et institutione scholastica liberius edisserendum existimabamus (*Brüder üb. Erziehung u. Bildung in Gelehrtschulen* etc. ep. 4.). Homines illos dicimus venustos et bellulos, qui toto habitu ostendant, multum se versasse in circulis bene nosse, quid ad omnem morum elegantiam pertineat, atque usu meliora didicisse, quam quae ex virorum sapientium ingeniis reconditisque

Jibris magno opere expromantur; ii delicatissimo cultu exquisitaque munditie conspicui, spreta vera humanitate, eos mores crepant, qui in honestiore coetu requirantur, spectacula frequentant, saltatione excellunt, subinde versiculos iaciunt, et vixdum dubia lanugine malas signante facetiis ineptas mulierculas petunt. At eos deiurare liceat nunquam ad eam ingenii maturitatem eamque animi gravitatem perventuros, quae humanae societati aliquid bonae frugis promittat. *Non subest vera vis*, ut rursus verbis utar *Quintil. 1, 3, 5., nec penitus immissis radicibus nititur: ut, quae summo solo sparsa sunt semina, celerius se effundunt: et imitatae spicas herbulae inanibus aristis ante messem flavescent.* Libere profitemur, longe anteferebros nobis videri iuvenes subagrestes, qui integris tamen animis et incorruptis moribus ad nos accedant, in quibus quum placere non possint, quae luxuriantis naturae fecunditas largius effundit, vel quae in procacitatem et petulantiam abeunt, solidius robur inest sinceræ valetudinis, ita ut monendo, formando, instituendo, subinde etiam increpando et castigando aliquid proficias, quemadmodum herbas laetius excrescentes demetendo, arbores resecando et amputando ad feliciorum proventum mitioremque fructum educi videmus.

Ceterum illam levitatem, quam finitimæ genti acceptam tulimus, sed cuius victi ab illa et gravissime vexati satis duras poenas dedimus, nunc fere aversantur cordatiores parentes, ad ea remedia magis magisque redeunt, quae in vera pietate, simplicitate cultus, corporis animique exercitatione et severa literarum disciplina posita sunt; pauci, qui dediscere nolunt, quibus perversa proximæ ætatis

ratio suam iuventutem assuefecit, fugiunt scholas nostras et abominantur; at iis, quos mala indulgentia depravatos in nostram tutelam recipere iubemur, eximere conamur fucum facticium et naturalem colorem restituere. Et Graeci quidem, ad quos redit nostra oratio, civitatis robur et splendorem non in aedificiorum magnificentia neque in moenium firmitate esse censebant, sed in ordine publice privatimque bene constituto iisque civibus, qui ad omnis virtutis aemulationem erecti res a maioribus traditas honestis studiis tuerentur. Cf. Isocr. Panathen. §. 138. His comparanda sunt, quae habet *Lucianus* de gymnasiis c. 20, 21, 22. Et hunc quidem locum *Luciani* egregie illustravit *Iacobsius* in annotatt., quas orationi supra laudatae subiecit p. 282—333, maxime ut ostenderet, quam utilitatem veteres homines ut ex omni poësi, ita potissimum ex Homericis carminibus, ex sapientissimorum hominum sententiis, (Panath. §. 149.) denique ex tragoediis comoediisque ad formandam iuventutem ceperint. Illa enim pro codice sacro iis erant, ex quo praecepta vitae, exempla maiorum, incitamenta virtutis, dignosque gentis suae nobilitate spiritus caperent; sententias pueris ediscendas dabant, et numerorum suavitate et praeceptorum veritate commendabiles; spectacula non temporis per otium desidiamque, ut postea factum est, transigendi causa cum adolescentibus adibant, sed ut res antiqua aetate ab illustribus viris egregie gestas memoria repeterent, patriae laudes celebrarent et ad imitationem animis proponerent, turpiter facta ut publice privatimque perniciosa aversarentur. Ita ad bellum cum inveterato hoste acriter gerendum accendi animos Homérico carmine, *Isocrates* dicit Paneg. §. 159. Atque

eodem iudicio Horatius et Homerum legit, ut ex epistola libri primi secunda apparet, et ad comicorum Graecorum exemplum perversos hominum mores acerbissimis carminibus perstrinxit. cf. Satir. I, 4. Ita etiam Isocrates in orationibus et adhortationibus saepissime ad rerum exempla antiquissimis fabulis proposita redit, ut in Hel. enco., quo §. 23—47. Thesei laudes splendida descriptione celebrat, et in sermone, quem Demonico inscripsit. Ita enim res humanas administrari, ut non omnia a divino beneficio exspectanda, sed plurima strenuo labore mutuoque auxilio comparanda sint. Philipp. §. 150. Maximum autem virtutis praemium honestam mortem denunciat, ut Demon. §. 43.

Longum esset commemorare, quae de privatorum officiis ab Isocrate passim praecipuntur. Suffecerit, pauca significasse. Ita ad commendandam modestiam quid potest pulcrius dici illis: Nicocl. §. 61., ad Demon. §. 32. §. 27. At vanis hominibus, quales supra descripsimus, dictum est §. 27.

Et quae de amicitia concilianda et servanda praecepit, maximam partem Cicero in libellum, quem de amicitia scripsit, recipienda duxit, neque satis commendari ea possunt iuvenibus, qui in iungendis amicitiiis imprudentiores, in colendis leviores, in dissuendis vel etiam rumpendis calidiores esse solent. Cf. Isocrates ad Demon. §. 21. Sed de administranda rep. et de populis sapienter moderandis et de obsequio, quod cives debent principi temperate res gerenti, nescio an salubriora consilia dari non possint, quam quae in oratione ad Nicoclem et in ea, qua Nicoclem loquentem facit, proponuntur, eaque non modo ad eos, qui summae rerum praesunt, sed ad omnes pariter pertinent, quibus alicuius multi-

tudinis regimen demandatum est. Pauca exempli causa reddimus. Orat. ad Nicocl. §. 16. 17. 20. 21. 22. 23. 27. His subiiciendum est iusiurandum illud, quo obstringi solebant omnes Athenienses, quum epheborum aetatem egressi ad vitam publicam et munera capessenda transirent, commemoratum a *Lycurgo* c. *Leocr.* §. 76. Formulam servarunt *Pollux* Onóm. VIII, 105. et *Stob.* Serm. 41. no. 141.

Talem autem reip. formam, in qua omnes moribus quam scriptis legibus parere mallent, paucae tamen quae latae essent leges publicam magis quam privatam utilitatem spectarent, in qua pietas obtineret erga deum et praestantissimorum civium verecundia, in qua magistratum ea auctoritas esset, ut nullus obsequium detrectaret, at inter sese omnes cives maxima iuris aequabilitate uterentur, in qua bonis publicis abstinerent, privata ad communem felicitatem promptissime impenderent, ubi non audaciae et temeritatis certamina nihil intactum intemperateve relinquerent, sed in patriam aliquid commisisse pro foedissimo facinore haberetur, quae domi maxima temperantia ornaretur, foris civium virtute defenderetur, denique ubi iuventus bene et liberaliter instituta, quae a patribus gloriosissime gesta essent, honestissimam hereditatem existimaret, tum demum apud se bene collocatam, si superare illos fortitudine et constantia, certe non superari contigisset, talem igitur reipublicae formam non cogitatione tantum et mente complexus est *Isocrates*, sed vere fuisse aliquando Atheniensibus, insigni eloquentia demonstravit in duabus maxime orationibus, *Panegyrico* et *Areopagitico*. v. *Paneg.* c. 22. *Bekk.* §. 75—81., *Areop.* §. 20—55. Et in *Areopagitico* quidem gravissime commonet cives, ut ad pristinam

illam disciplinae severitatem, ad iudiciorum integritatem, magistratuum sanctitatem et civilem concordiam redeant; in Panegyrico, ut omissis seditionibus domesticis compositisque bellis, quibus Graeci cum Graecis nimis diu commissi fuissent, omnes vires contra communem universae patriae hostem convertant; et simul, quaecunque ad augendos animos omnium, corrigendos singulos, restituendum ordinem, resarciendas calamitates valere possint, tam copiose et splendide persequitur, ut mutatis nominibus omnia nobis dicta esse videantur.

PETRI HOFMANNI PEERLKAMP

ORATIO, HABITA LEIDAE AUSPICANDIS LECTIONIBUS M. OCTOB. A. 1831 *).

Quam religiosi fuerint Graeci et Romani in observandis diebus, quibus rem graviores suscipere, nemo vestrum est, H. AA., qui ignoret. Si autem subito quid agendum esset, et forte is dies ante annos et saecula laetus reipublicae exstitisset, tum vero de felici eventu non dubitabant. Quamquam apud nos, qui christiana religione imbuti sumus, nihil valere debet haec superstitio, et hoc nobis omen est longe praeclarissimum, habere optimorum consiliorum testem conscientiam, tamen eiusmodi dies propter ipsam rerum ante actarum recordationem,

*) Edita Leidae a. eod.

nescio quomodo, solent esse incundiores, adeo ut spem bonam taciti ostendere videantur.

Ita, quod per ducentos quinquaginta sex annos, quos academia Leidensis stetit, nunquam accidit, hoc anno tertium diem Octobris instaurandis lectionibus indictum esse videmus. Hoc, quod ad diem attinet, factum est rege imprudente, imprudentibus aliis, qui ista curant. Ego omen accepi, accepistis, academiae nostrae alumni, accepistis, ingenui huius urbis incolae, qui hunc diem ipso natali vestro habetis cariorem. Erat profecto, semperque erit, tertius ille Octobris dies non modo Leidae, sed etiam universae patriae longe praeclarissimus. Hic primus post multas calamitates et miserias Hollandis nova quadam luce arrisit, et Hispanos vinci posse docuit. Hic ostendit, non duras in aere et ferro cohortes, non praedae aut vindictae sitim, non ferociam, nec superbas minas, non vim tormentorum strages late spargentium, victorias praestare. Parva civium, vix bene armatorum manus, amor patriae, spes in deo posita, patientia et constantia, impetus Philippi repulerunt, illius, cui Europa esse videbatur parva.

Quem animum creditis fuisse Gulielmo principi Arausionensi, cui Delphis in templo sacram orationem audienti nuntius liberatae obsidione Leidae afferebatur? Haud alium puto, quam quo nuper Gulielmus rex victoriam Lovaniensem accipiebat. Intellexerat vir sapiens, quam vim exemplum urbis, tam diu et frustra ab Hispanis petita, domi forisque esset habiturum, quantum fiducia geniturum. Itaque in omnibus patriae oppidis, ubi per inimicos licebat, ingens erat laetitia, Leidae inprimis, et animi vulgo ad studium excutiendae tyrannidis erigeban-

tur. Iam nihil in bona caussa desperandum. Fortes et pios mortales deum ipsum adiuvere, cuius auxilium praesens in gravissimis periculis apparuerit. Non fame, non peste, quae ultima mala obsidioni accesserant, fractos civium animos, quin aegra corpora in propugnaculis steterint intrepida. Quum omnes humanae opes defecissent, ipsos ventos et aquas pro Leidensibus quasi militasse, et partem muri cum fragore collapsam, qua liber introitus hostibus pateret, iisdem tantum incussisse terrorem, ut fugam maturaverint. Nec frustra fuit tam illustre virtutis fideique exemplum. Hoc omnes intuebantur, hoc magistratus civitatibus, hoc duces militibus, hoc patres liberis ostendebant: magisque etiam tum eluxit, quum eius memoria novo et inusitato praemii monumento consecrabatur. Die nempe 5. Octob. Gulielmus huc venit, et cunctis ob fortitudinem laudatis, singulare aliquod et proprium munus pollebatur. De qua re clam cum paucis e magistratu egisse, et mentionem quoque academiae iniecissee videtur. Qualis beneficii gravitatem ut intelligerent, satis iudicii et sapientiae erat in maioribus nostris, quamquam vulgo haberentur agrestes et nihil nisi mercatores. Mercaturam faciebant longe plurimi Leidenses. Quid tum? Faciebant rem honestissimam. Petrus ille Adriani f. Werfius mercator erat et consul. Concedite mihi, AA. H., in hoc viro immortalis magnificum illud nomen romanum. Nam si cui unquam burgimagistro ea laus tribui potuit, ut nomine appellaretur, quo Romani Brutum, Decios, Fabricium, Curium et Scipiones appellabant, merito tribui potest burgimagistro Leidensi. Nacti sunt igitur non vectigalium immunitatem, nec si qua alia ostenderentur commoda, sed academiam, au-

ctore Gulielmo ab ordinibus Hollandiae et Zelandiae conditam. Cuius facti quanta omni tempore fuerit utilitas, non latet. Caeteri Europae populi admirabantur constantiam parvae nationis, quae in medio bellorum aestu, atrocissimo hoste cervicibus undique imminente, intra muros tormentis etiam divulgatos et labefactatos, sedem Musarum constituere auderent. Peregrini novas scholas frequentantes, Hollandam diligentiam, candorem et probitatem cognoscebant, easque laudes praedicando inter suos disseminabant. Nostri adolescentes iam domi habebant, quod antea foris magno sumtu et saepe morum detrimento erat quaerendum. Focos paternos amare, sua bona nosse, mores et instituta domestica tenere, saeculum fiebat, vertebatque e consuetudine in naturam. Hic filii mercatorum, opificum, nobilium, hic ipsi stirpis Arausionensis principes ad humanitatem informabantur, et audiebant artes, sicuti Gulielmus primus in diplomate condendae academiae mandaverat, *quibus liberae civitates, omni tyrannide sublata, recte possent administrari*. Sic res maiorum incredibile dictu est, quantas vires ex nova academia sumserit. Neque minora erant commoda ad ipsam urbem venientia, quod inprimis intellectum est, ex quo, mutata Europae conditione, mercatura apud nos decrevit, adeo ut hoc detrimentum illo auctu aliquatenus pensarent et solarentur. Ita merces et fructus avitae pietatis hodie quoque in nepotes redundant.

Iam si causas indagamus, cur caeterae fere omnes in Europa conditae sint academiae, reperiemus vel unam honestissimam, artium doctrinarumque propagandarum cupiditatem, vel regum et principum ambitionem, vel invidiam et aemulationem.

Honestā illa causa Leidae cum aliis fuit communis, sed altera propria, quod nempe academia sua tamquam fundamentis fide, virtute, amore libertatis et patriae sit posita. Huius tam augustae originis memoria si animo cuiusquam excidere posset, vel ipse urbis adspectus, magnorum virorum imagines, multa rerum monumenta et nomina revocarent. Sed ea semper habita fuit sanctior, quam ut non cunctis mentibus penitus infixā haereret. Atque huius cogitationis vis, quamquam pertineat ad universos huius oppidi cives, non minus semper tetigit generosos ipsius academiae alumnos. Amorem patriae natura omnibus hominibus ingeneravit, Hollandis praecipue, quibus hoc solum natale, sanguine et sudore hostibus et mari ereptum, maiores reliquerint. Sed idem ille patriae amor, quem secum quisque Leidam attulit, Leidae alitur, crescit, inflammatur, adeo ut iste ardor hospites quoque et peregrinos corripiat. Huius rei illustria sunt exempla. Quae me commemorantem, etiamsi non incognita, tamen propter rerum recordationem attentī audite.

Nunquam Hollandia propius ab interitu abfuit quam a. MDCLXXII, quo Ludovicus XIV. et Carolus II. sine causa, et hoc odio infestiore, ad eam subigendam conspirarunt. Mari classes Francas et Anglas in acie adspicere, sustinere, et profligare poteramus. Terra non pares erant nostri exercitus, a longo inde tempore neglecti, aliis eos augeri, aliis minui, e republica censentibus. Itaque Ludovico, qui opibus Franciae tamquam suis utebatur, et aliquando dixerat *se esse populum*, facile fuit cum immensis viribus paucos et imparatos repellere, et in agrum nostrum penetrare, adeo ut iam Leidae vicinus immineret. In hoc tumultu et trepidatione

cives animum non demisere, sed omnia ad obsidionem tolerandam, si Francus veniret, pararunt. Pars etiam loca extra urbem opportuna praesidiis firmabant. Interea magna multitudo adolescentium academicorum quotidie arma exercebat, duce viro clarissimo, Christiano Mello, professore mathematico, eaque brevi tanta cum facilitate, elegantia et gravitate (nostra celeritas nondum in usu erat) tractabant, ordines componebant et mutabant, ut, qui spectatum venissent, satis admirari non possent. His portae albae et contigui aggeres committebantur defendendi, noctesque et dies per integrum annum stationes et vigiliās, ubi opus esset, disposuerunt. Hoc genus militiae habetur fere minus gloriosum, quam in castris degere, noctu sub divo ad ignes vel in tenebris iacere, in agmine incedere, hostem nunc ex insidiis, nunc palam adoriri. Est sane de istis militibus frequentior sermo, quam de praesidiariis, quorum prope obliviscimur, nisi moenia tormentis quatiantur. Sed nos gloriam militarem non fama nec vulgi opinione metimur, sed diligenti disciplinae et officii observatione, quae nescio an non saepe difficilior sit in custodia oppidi. Minus certe iucunda est, quia dies, menses, annus saepe sine varietate praetereunt, et, si hostis pugnandi copiam non faciat, pugnandum est cum inimico capitali, taedio.

Franci tum ad Leidam non pervenerunt. Nostis eventum expeditionis, quam trans aquas, glacie duratas, inceperant. Dolorem irritae spei effuderunt in Bodegravam et Zwammerdamum. Flammæ e tectis ardentibus surgentes a muris nostris conspiciebantur. Quae res diligentiam et constantiam oppidanorum auxit, adeo ut Leida nunquam neque

antea neque post aeque fuerit munita, omnesque parati essent Francos accipere, sicuti maiores sui ante saeculum acceperant Hispanos. Quam grata esset magistratibus voluntas adolescentium academicorum, eo ostenderunt, quod Ioa. Groenendykus, scriba, latino carmine publice laudatos, argenteo nummo ornavit.

Mira quaedam iis temporibus apud nos erat imperii forma. Dicebamus resp. foederata. Revera resp. eramus septem, praeter Drentinam non pari iure. In his septem tot iterum respublicae, quot fere oppida. Studium libertatis et privilegiorum ubique maximum, deque iis nihil omnino remitti. Amstelodamum habebat plures incolas quam tota Frisia. Et tamen supra portas urbium Frisae minutissimarum tam aureis literis inscriptum erat v. c. S. P. Q. Doccumensis, quam Amstelodami S. P. Q. Amstelodamensis. In hac imperii forma erant diversa provinciarum commoda, alia aliis saepe contraria. Accedebant artes et studia Franciae Britanniae, potestas principum Arausionensium primum incerta nec legibus descripta, deinde contracta, sublata, aucta. Res igitur tam male coniunctae, quae uno communis periculi vinculo continebantur, semina discordiarum ipsae habebant, quas aliquando in bella civilia et interitum erupisse mirum non est. Sed hoc mirum esset, tam diu sisti potuisse, nisi nossemus maiorum nostrorum iustitiam, pietatem, diligentiam, et immensas divitias. Graves errorum poenas dedimus. Ludovicus XVI. delicta trium Ludovicorum innocens capite luit. Exhausta Francia avidas manus in thesauros Hollandiae porrexit. Fuimus, quod illa voluit, resp. Batava, accepimus pensionarium, obtrusus est nobis peregrinus rex,

adiecti fuimus, tamquam alluvies fluminum Franco-
rum, magno Franciae imperio. Vos, optimi adoles-
centes, quam triste negotium sit servitus, legistis
tantum et fando audivistis. Experti estis nunquam,
et nunquam experiamini! Nos tyrannidem sensimus,
nobis inflicta vulnera nondum cicatricem duxerunt.
Ossa hominis condita iacent in insula S. Helenae,
ubi lento moerore et aegritudine confectus, dignum
facinoribus exitum habuit. Hic quum regnandi gra-
tia fide violata, ex Ilva, primo exsilio, in Franciam
eruperat, una per Europam arma, arma claman-
tium vox audiebatur. Quadrivium illud et campus
Waterlous Hollandae quoque virtutis testes fuere
locupletissimi. Nuntius victoriae universam patriam,
ut par erat, incredibili gaudio replebat. Sed scitote,
Leidae fuisse, quibus illud gaudium dolore quodam
mischeretur.

Hi erant literarum studiosi adolescentes, qui iam
duos menses rei militari operam dederant, et pro-
fiscendi cupiditate flagrabant, nunc se non inter-
fuisse dolebant. Iam exeunte a. MDCCCXIII. quum
prima spes recuperandae libertatis arridebat, cives
Hagani Woerdam occuparunt, quibus etiam aliquot
academiae nostrae alumni se comites adiunxerunt.
Cuius facti eventus etsi infeliciter cessit, tamen ma-
gnopere laudanda est eorum audacia, qui scirent,
opes tyrannidis nondum plane esse fractas, sibi
autem, si in potestatem venissent inimicorum, mo-
riendum esse omnibus. Sed inprimis ardor animo-
rum tum eminuit, quum Napoleon, Ilva, ut diximus,
relicta, iterum Parisiis, arce dominationis, patriae
nostrae pristinum dedecus meditabatur. Omnes,
exceptis qui valetudinem, vitia corporis, et graves
caussas excusarent, sua sponte, nemine professorum

clam palam hortante vel incitante, nomina militiae profitentur, pars apud duces equitum et peditum voluntariorum, pars apud praefectos armatorum civium, pars suam ipsi centuriam componunt. Centurio publice datus. Qui locum centurionis primo et secundo ordine tenerent, horum e suo corpore legendorum facta potestas. Et hos sibi dari modeste petierunt. Caeterum paratis suo sumtu vestibibus, eo fere colore et modo, quo velites utuntur, quos appellare solemus venatores, intra mensem, habitu, dexteritate, et peritia milites exercitatos aequabant. Et nondum omnes, ut hodie, didicerant mathesin. Tantum scilicet rei susceptae amor, iudicium, et ambitio valent. Atque hos adolescentes, ea agitan-tes, dies Waterlous occupat. Fuit nimirum ea semper Napoleontis ratio, ut partem victoriae in celeritate et subito impetu reponeret. Ruebat saepe illud belli fulmen, quando minime exspectares, et milite Franco nihil est agilius nec velocius, etiam in fuga, quod in ista clade apparuit. Sed nondum certa spes fidae pacis ostendebatur. Franci, qui a Napoleonte stabant, stabant autem milites cuncti, tenebant oppida et castella. Validus exercitus erat trans Ligerim, eodemque multi quotidie ex tota Francia affluebant. Quare socii reges non quiescendum rati, antequam reliquiae belli essent deletae, totis in id viribus incubuerunt. Nostri quoque adolescentes evocati, Montem Hannoniae profecti sunt, inde ad pagum, in quo Fredericus, Gulielmi regis filius, habebat praetorium. Hic praeerat exercitui ad observanda Francorum praesidia, variis oppidis imposita. Ita principem regium, quem nuper in literarum studiis habuerant commilitonem, eundem nunc belli ducem nanciscebantur. Postquam ali-

quamdiu prope Valencenas, Cōndaeum et in aliis locis erant morati, iamque omnia ad pacem satis composita esse videbantur, tertio mense, postquam discesserant, Leidam reverterunt. Quanta fuerit omnium gratulatio, dictu arduum est. Nec facile in aliquo ea reperitur facundia, quae talis diei laetitia verbis aequet. Redierunt ergo incolumes, corroborata laboribus valetudine, moribus incorruptis. Pugnandi facultas, plurimorum votis, ut sunt animi iuvenes, expetita, non facta est. Sed stabant parati, eosque Napoleontis milites adspicere poterant, illi, qui Borboniorum contemtores, iram et vindictam spirabant, seque pro victis haberi vehementer indignabantur. Eam ferociam continuit praesentia nostri exercitus, in quo iuvenes Leidenses se praeclare gessisse, centuriones, duces, et ipse rex palam professi sunt.

Illud bellum patriae nostrae multis nominibus utile fuit. Ne memorem pacis leges contumaci populo aliquando iustius impositas, filii regis ostenderunt se a stirpe Nassavia non degenerasse, Gulielmus etiam sanguine suo probavit. Hollandi pugnarunt, ut qui intelligerent, quanta bona essent libertas et patria. His virtute non inferiores fuerunt Belgae, sed casu magis et temere, aemulatione et exemplo ducum, qui novo regi commendari cuperent. Nam quid essent libertas et patria, nunquam antea intellexerant, nec, tam recens nobiscum coniuncti, didicerant. Omnium nationum, quae sunt in Europa, nulla est infelicior quam Belgica. Servitus et calamitates multos fecerunt inconsideratos et pravos, natura non sunt. Clerici et nobiles semper plurimum valuerunt, caeteri fere nullo in numero, rudes et humanitatis expertes, maximam partem neque

legere neque scribere intelligentes. Olim perpetua vice imperantium, nihil certum aut stabile. Quid intererat multitudinis, cui serviret, dum sua onera portaret? Regio multarum rerum fertilis, situ felix, haud parvum potentiori regno, cui accessisset, momentum, perpetua fere bellorum sedes, adeo ut iam hoc quartum iidem homines viderint. Nunc subiecta fuit Hispanis, nunc Austriacis, nunc Francis, partem quoque Hollandis. Ita parebant externis regibus, tyrannis domesticis, et imperium reipublicae Francae et mox Napoleontis, quod nobis intolerandum onus, Belgis ingens erat beneficium. Nam in ea servitute omnes ordines aequo iure habebantur. Deiecto Napoleonte, nobis traditi sunt, quoniam inter plurimas Belgarum gentes et Hollandos originis erat necessitudo, et commoda Europae ita postulare videbantur. Iam Belgae, si felices esse vellent et possent, nobiscum poterant. Saepe dicebamus: Quod regnum hoc cernemus, imperante Gulielmo, boni et constantis animi viro, sapiente, adversa fortuna spectato! Quomodo munus gravissimum impleverit, ipsi Belgae, vel inviti, sunt documento. Quotannis apud eos agricultura, opificia, mercatura, artes et doctrinae, humanitas, crescebant, et omnes, qui regionem post aliquot annos videbant, non esse eandem una voce testabantur. Tantum valuerunt leges, libertas, et optimi regis benevolentia. Neque ingrati erant cuiusvis loci et ordinis homines, qui calumnias vero posthabebant, probe intelligentes, neque etiam dissimulantes, salutem Belgii gentis Nassaviae salute contineri. Sed factio improborum maior pauciores bonos, Arausionistas, vi et terrore oppressit. Florebant in primis, qui cuiusvis bene institutae civitatis nervi et robur

sunt, et felici sorte gaudentes, auctorem satis laudare non poterant. At clerici et nobiles simul videbant populum iam sua imperia interpretari, coalescere utriusque nationis corpora, Belgas fieri humaniores, quam ut mos maiorum et ritus antiqui diu servari possent, aliorumque libertatem sibi fore servituti conquerebantur. Ex hoc fonte derivata mali labes, sensim per omne Belgium dispersa, auctis eundo viribus, tandem in diram illam seditionis pestem et haec mala erupit, quorum non certum invenietur remedium, nisi vicinae nationes aegri corporis partes curandas suscipiant, partem Belgis, qui sana mente sint, relinquunt. Meminimus, et quis unquam obliviscetur, quomodo facinus hic acceptum fuerit. Animi nostri variis affectibus simul occupabantur, quidquid autem loqueremur, quidquid sentiremus, superabat semper indignatio. Quamdiu sol oras Belgarum illustravit, nihil unquam tali rebellionem vidit indignius. Tantam infamiam non Scaldis, non ipse oceanus fluctibus eluet, nulla unquam saecula expiabunt. Extremi terrarum populi nefarios intestabilesque homines audient.

Quicumque praesentem rerum statum in civitate evertunt, a certis quidem consiliis proficiscuntur, sed dato semel impulsu, fortior est rerum cursus, et multa praeter opinionem et voluntatem auctorum trahit. Hoc plerumque fit, si, quod illi fecerunt, adiutores et ministri parentur stulti et turbulenti omnis aetatis homines, in dedecore atque ex dedecore viventes, qui suum nihil habent, aliorum multa sperant, atque eo tandem deveniant, ut caussa cum perditio quoque et faece plebis sit communicanda. Itaque non omnia, quae patrata sunt, accidisse volentibus clericis et nobilibus credibile est. Et iam

rabulas istos, qui nuper ad gubernacula iactatae navis sedebant, alios in proram, alios in sentinam reiectos esse videmus. Sed quod factum est, auctores et faces horum incendiorum reddere infectum nequeunt, et posterī vix credent, ab uno populo, qui christianus appelletur, tantam criminum multitudinem tam brevi tempore potuisse committi. Seditio sine ulla caussa, quae commode fingi possit, concitata, iura divina atque humana violata, perfidia, insidiae, calumniae, iactantia, caedes, rapinae, incendia, nomini Belgico sempiternae infamiae maculam inusserunt. Itaque secundis auribus voces accepimus quae iaciebantur, ut suas sibi quaeque natio res haberet. Gulielmus reges Europae potentissimos rogavit, ut, qui Belgium cum Hollandia conglutinassent, iidem sine damno nostro dissolverent. Interea intra veteres patriae fines recessimus. Sordidi et impuri latrones, (invitus eiusmodi vocibus utor. Quid faciam? Ingenuos et honestos appellare non possum.) latrones igitur in caeruleis stolis galeisque Iacobinis, audaciores facti, impetum minabantur. Neque id mirum: si quidem oratores publice in conventibus clamarent, spoliandos esse divites Hollandos, spoliandum regem opulentum. Ea spes magnam Francorum multitudinem, praeterea vim furum et sicariorum ad greges Belgicos exciverat. Neque deerant, qui per Europam vagantes, operam et vitam offerebant, ubi ex tumultu et pugna plurimum lucrari possent.

Eo tempore in ingenti periculo versabamur, imparati a militibus, armis, pecunia. Sed Hollanda fides et constantia in rebus adversis maxime spectatur. Non sunt multi sermonis, sed, ubi opus sit, agunt et vigilant. Brevi tempore, quasi coelo de-

lapsa, classis stabat ad Antverpiam, exercitus plus quam centies mille hominum tuebatur fines, armorum et pecuniae abunde erat. Tantum concordia, amor patriae, et indignatio valebant. Ipse rex, verus patriae pater, omnibus esse exemplo, summi et infimi studio inter se certare, iuvenes, viri, undique voluntarii ad arma concurrere. Academia Leiden-sis tertium virtutis testimonium dedit, unius morte, aliorum sanguine consecratum. Quam rem non satis scio quemadmodum enarrem. Vereor enim ne, si animo obsequar meo, nimis laudasse videar eos adolescentes, quibuscum mihi arcta intercedit necessitudo; si parum dixerò, ne modestiam nonnulli interpretentur sive agrestiore sive simulatam. Utrique reprehensioni occurram, quoad potero mihi-que liceat. Caeterum omnem huius facti gloriam verbis neque minui neque augeri posse arbitror.

Quum a. superiore Septembri m. lectiones nostras auspicabamur, omnia e Belgio tumultuosa nuntiabantur. Exemplum Bruxellense, coniurati per totam regionem dispositi, conciones clericorum et voces nobilium animos conductae et imperitae multitudinis accendebant. Res iam ad communem defectionem spectabat. Vis et arma parabantur. Tam ingratus hominum animus, haec falsae mentis malitia, adolescentes, inprimis a fraude alienos, vehementissime commovebat. Laudem patriae agi putabant, nec iam solita quiete contenti, se quoque vindices perfidiae fore dictitabant, et omnibus pulchrum in armis stare succurrebat. Quid multa? Nobili ardore correpti, aliis exemplum praeceuntes, nltro nomina militiae dederunt. Voluissent omnes. Nam et ipsa militia huic aetati habet satis dulcedinis. Quid ea, quam pro tali causa, cum amicis et sodali-

bus geras? Sed non omnes potuerunt nec debuerunt, quos, quamquam iustissimae caussae, retinuerunt tamen invitos. Ingenti igitur numero usum armorum didicerunt. Quam cito, dicere non attinet, ubi pudor et honoris studium sunt magistri. Tardius quam cupiebant, rex oblata hac opera usus est. Et tamen iam d. XIII. Novemb. hinc profecti sunt in Brabantiam Septentrionalem. Iam fere annus est, sed meminimus istius diei, tamquam hesterni. Pulchrum erat spectaculum. Laeto agmine incedebat flos púbis Academicae, et ad bellum, veluti festum, properabat. Viae multitudine deducentium fervebant, aër faustis acclamationibus resonabat. Erant, sed hi fere parentes, quibus lacrymae oboriebantur, vultu tamen ad placidum risum composito. Sed nemo omnium cogitabat fore ut exercitus Hollandus novem menses ingrato otio in finibus duceret. Scimus, an potius nescimus, quid interea legati regum Londini egerint. Sed hoc scimus, quo animo nostri impudentiam et arrogantiam Belgarum pertulerint. Pauci rebelles, qui si idem in Scotia vel Hibernia vel in agro Vendeënsi fecissent, innexa laqueo gula de patibulo suspenderentur, toti Europae impune illudunt. Nimirum ars, quam vocamus diplomaticam, difficilis, contorta et gravis esse videtur. Rerum multarum caussas diu post, aliarum nunquam accurate discimus. Deliberantibus igitur legatis, induciae a Belgis quotidie violantur, nostri indignis modis lacesuntur. Illud tempus Hollando exercitui maxime miserabile fuit, praecipue adolescentibus, quorum, quidquid ageretur, id cito agi intererat. Arma exercere, vigilias agere, pagum subinde cum pago mutare, si quam initio habuerit iucunditatem, eam consuetudine amisit. Studia literarum retra-

ctare, vita iniquies et operosa non patiebatur. Quibus noctu non erat excubandum, hi propter diurnos labores somnum tenere non poterant. Non deerat sermonum materies, sed de aliis plerumque rebus, quam de Platone et Virgilio, nec quidquam frequentius his vocibus auditum est: *Quando dabitur hostis, quando pugnabimus?* Iam proponite vobis ante oculos catervas Belgicas, tam prope finibus nostris imminentes, videte agricolas spoliatos, vexatos, occisos. Audite latronum insolenter se efferentium iactantiam. Et tamen, o rem incredibilem et indignam, quia rex Gulielmus in pactione induciarum manebat, hanc religionem clamatores in tribunali Bruxellensi, Thrasones in castris et insidiis terrorem interpretabantur. Quodsi unquam cuiusquam exercitus tentata fuit patientia, Hollandi eo tempore fuit. Tulerunt, passi sunt, duram necessitatem taciti devorarunt. Eadem semper modestia, eadem disciplina. In qua re non minorem eos gloriam, quam in proeliis ad Hasseletum et Lovanium gestis, consecutos esse arbitror. Ibi enim trepidos et ignavos hostes vicerunt, hic se ipsi. Quae victoria haud paullo est difficilior.

At rex Gulielmus, videns Londini nihil per legatos profici, et plenas aequitatis condiciones a Belgis reiici, suae et Hollandorum dignitati amplius deesse non potuit, sed inimicos armis cogere decrevit, quod ipsi legati se facturos minati erant. Itaque die praestituto inducias finivit, et copias Hollandas, duce filio, principe Arausionensi, in agrum Belgicum invadere iussit. Universus exercitus ingenti laetitia rem cognovit, et cupiditate castrorum movendorum flagravit. Illuxit dies, initium hic unius et continuae victoriae, illic fugae et cladis perpetuae. Tantum

duces ducibus, miles militi, caussa caussae distabant. Atque ea laus non propria est huius illiusve provinciae, sed cum universis ita communicanda, ut singuli fere duces et milites suo sibi iure partem vindicare possint. Sapienter Lacedaemonii, quum Pausanias in epigrammate scripsisset, suo ductu exercitum Medorum esse deletum, pro his verbis nomina earum civitatum posuerunt, quae proelio interfuerant. Multa in bellis longe aliter fiunt, quam imperatores sibi proposuerunt, praesertim si in agro pugnetur, silvis, pagis et oppidis repleto, neque hostis nisi ex insidiis et loco munito resistat, et vel sic pedum celeritate salutem quaerat. Itaque fortuna saepe hostes obicit, non ducum prudentia semper designat. Sed ea, opinor, alumnis principis academiae debebatur gloria, ut semper primi conspicerentur. Atque eo loco se dignos cum in tolerandis laboribus, tum in profligandis inimicis, probarunt. Labores quum dico, non dico vulgares istos, longa facere itinera in armis et impedimentis, cibum et potionem solito tempore desiderare, noctu vigilare aut humi quiescere. Maiores erant exhauriendi, et propter celeritatem, qua omnia erant agenda et audenda, et propter militiae genus, quo fungebantur. Venatores nempe, vagabantur ante exercitum, explorabant vias, hostes e silvis et latebris excitabant, nunc plures diversi, nunc singuli intervallo, nunc omnes coniuncti pugnantes. Interdum calore et siti, noctu frigore et fame vexati, vicino semper hoste, vix horam somno continuaverunt, strati, ut sors ferebat, in dura via, vel humido arvo. Ita fatigatis novus dies nova pericula, novam rerum faciem, raro laetiolem, afferebat. Aures horrantium amore et armorum sonitu strepere, oculi

spectaculo morientium et vulneratorum affici. De suis unus, alter, plures plumbo percuti, commilito perforato capite in terram procidere, et extremam spiritum in sinu commilitonum efflare.

Nihilo secius tamen illi, quod inceperant, strenue persecuti sunt, nec quidquam de virtute remiserunt. Tantos iis animos addebat cogitatio, e qua academia venissent, et inflammabat praesentia Gulielmi, principis Arausionensis, quo vidente ac laudante ista militiae rudimenta ponebant. Hunc deinceps in celeri victoriarum cursu secuti, pugnando ad Lovanium pervenerunt, ubi eos maius, quam adhuc experti erant, periculum manebat. Iussi Abbatiam recognoscere et praesidio occupare, terribili tormentorum igne a Lovanio excipiebantur, idque iam concessis a Gulielmo induciis. Quod utrum Belgae in ea parte nesciverint, an solita perfidia fecerint, non affirmem. Sed uti in universo hoc certamine multa fuerunt divinae providentiae expressa vestigia, quae bonae causae favens, sceleris mentem et consilium eripuit, ita omnes globi altiores ceciderunt irriti. Itaque d. XIII. Augusti victores Lovanium intrarunt, urbem olim saepe obsessam, nunquam deditam. Eam noctem in propugnaculis sub divo laeti et hilares transegerunt, recordantes fuisse diem XIII. Novembris, quo Leidam anno superiore reliquissent. Tum vero honesti oppidani alumnos academiae Leidensis alios esse quam Lovaniensis cognoverunt, et, quos appellabant *parvos Behringae daemones*, eosdem per inducias apparere mites et humanos. Lovanium erat terminus victoriarum. Belgae, terrore correpti et sensibus perturbatis, flentes propemodum ut pueri iaulti, auxilia Francorum implorata acceperunt,

quum prope Bruxellas stabamus, ubi Gulielmus natalem sui et patriae patris celebrare, et Belgis pacem imperare potuisset. Recessimus igitur a Belgio, quasi triumphantes, deducente nos exercitu regis in Europa potentissimi, Francorum.

Iamque iterum in finibus nostris stantes, expectamus quid legati Londini sint acturi. Quod interim rex adolescentibus academicis reditum ad studia concesserit, ea tamen lege, ut ad primum tumultum praesto sint, in eo quoque curam illius erga omnes paternam agnovimus, nec caeteri voluntarii ignorabunt. Nam alias res fere omnes recte committas vicario, vicarium, qui pro te discat, in academiam mittere non possis. Faxit Deus, ut et hi et cives armati quam celerrime, honorifica pace constituta, revertantur! Non minore eos veri gaudii et laetitiae significatione excipiemus, quam nuper milites academicos excepimus. Atque hi, otio paucorum dierum recreati, iam veterem vitae consuetudinem repetunt. Annum perdiderunt. Sed ego annum ita perdidisse, magno emerim. Nam hoc perdere, lucrum est longe honorificentissimum. De literarum studiis, qui animum ad ea recolenda serio referent, hi experiendo idem cognoscent, quod agricolae in bona novali. Non frustra cessant agri, sed maiore quam solito foenore, semina mandata reddunt. Crescit plerumque retenta cupiditas, et arcus remissi fortius intenduntur. Iam tempus hibernum, horae ad focum vespertinae, et grata recordatio, quibus iam laboribus et periculis careas, ad legendum et meditandum invitant. Sed ante omnia rei praeclare gestae conscientia tacitum animis vigorem et tranquillam alacritatem, optima discendi adiumenta, conciliabit.

Nescitis, optimi adolescentes, si quī hic adesset, nam nulla video militum insignia, nescitis, quā momenti negotium feceritis. Dicam equidem, sine ambagibus dicam, quia vos nullam hinc summi superbiam. Ardor et impetus, quo neminis exequi plurimum exspectantes, statim ultro ad arma convolasse aliorum quoque studia commovit. Modeste parentum taedium et moram amice ferendo, rem militarem diligentius addiscendo, iam in claritudinem pervenistis. Has virtutes omni vitae honestate ornavistis. Quum legatus, qui in vestro cornu curabat, vos cognitos in proelium ducebat, totos dies et noctes sine quiete et somno, sine cibo et potu, in imbris et calore, intrepidi periculis obviam ivistis, multos hostes occidistis, plures cepistis, rusticos et oppidanos nos Belgas humanitate vestra sublevastis. Tandem balteis inimicorum devictorum cincti, ita, quasi nihil, nisi officio functi, rediistis. Functi estis officio vestro, sed gravi et difficili, cui sustinendo tantum res esse iuvenes academicos, universus admiratur exercitus, adeo ut omnium animi aemulatione accenderentur. Quae res et statim utilissima fuit et semper ubique ingentem laudem habitura est. Hanc vobis tribuit rex Gulielmus, quum copias praereditum lustrans, vos contemplatus, beatos parentum caret parentes, qui tales procreassent filios. Hic princeps Arausionensis, vester ille dux et optatus perpetuus, hanc caeteri legati et duces, hanc et patria *).

Et miramini, nam mirati estis, cur ignoti quī

*) Cf. *P. G. Heusdii* epistola ad filium suum data praemissa huius diatribae de *Gulielmi Ludovici* Notitia (Trai. ad Rhen. 1835) p. XIII. sqq.

quæ et peregrini, si vestrum aliquem viderent, huic continuo manu arrepta gratularentur? Ecquid intelligitis publicam illam pagorum et urbium, per quas revertebamini, lætitiâ? Quæ vos tantocum studio et favore vultus et vocis ad bellum viderant proficiscentes, incerto etiâ virtutis periculo, quid has facere oportebat, quum eosdem contemplantur e bello reduces, fortitudine tam egregie probata? Merito reditus iste quasi unus fuit triumphus, et ingenti pompa in occursum ruebant incolæ Dordraci, Roterodami, Delphorum, et adventum vestrum habebant diem festum: vici et villæ iter retardabant, cunctis certatim iuvenes tenentibus, quos avitæ gloriæ appellabant vindices. Vobis isti flores et sarta, vobis vexilla erant suspensa, vobis sonabant musici concentus, vobis fausti clamores et applausus edebantur. Quodsi aliæ urbes vestram laudem tantopere ad se pertinere arbitrabantur, quam mentem fuisse putatis Leidensibus, quum tubas vestras audiebamus, et nota moenia ingrediebamini? Sensus animorum nostrorum multis indiciis declarare conati sumus, omnes non potuimus. Sed communis lætitiæ nullum certius apparuit documentum, quam quod nemo fere tam pauper reperi- tus sit, quin vesperi, quando clarissima lumina per totam urbem fulgebant, vel parvulam lampadem, voluntatis testem, ostenderit. Atque utinam ea lætitiâ tam esse potuisset integra, nullius ut mortem doleremus! Sed atrum luctus et pietatis signum, quod in dextris brachiis gestabatis, iam statim nos *Beeckmanni* admonebat, illius, qui fortiter pugnando apud *Behringam* cecidit, et multas multorum lacrimas et desiderium, ante omnes carissimæ matris, secum abstulit. Annum ætatis attingebat undevi-

gesimum, et omnibus, qui eum habuerunt cognitum, propter honestissimos mores, come ingenium, et eximiam diligentiam, vehementer erat carus. Sed quærelæ, quamvis in tam acerba morte, a nobis absint, neque magis quid amissum, quam conservatum sit, cogitemus, deoque gratias agamus, quod tantum gloriæ etiam non pluris constiterit. *Beeckmanno* quidem, letali vulnere deiecto, sensus moriendi vel nullus vel exiguus fuit. *Iuvenis* occidit. Sed multi iuvenes occiderunt et occident, etiam sine bello. *Huetius* ille noster, vulnus accepit non letale. Quo iam fere sanato, morbus egregium adolescentem occupavit et consumsit.

Adeo incerta vitæ conditione, bene actum est cum eo, qui in brevi ætate tam longum ad gloriam ævum peregit. Nam quid annos numeramus? Quod quisque bene fecerit, hoc numerandum est. Sic nomen *Beeckmanni* nullo unquam tempore intermori-turum est, et nos grati illius memoriam colemus et consecrabimus. Corpus in agro hostili, in ignoto angulo iacet conditum. Levis iactura, cui tota *Hollandia* sit pro monumento! Quod si manes sentiant et humana curent, nos suam sortem miserari vetat, et lætari nostra iubet, qui vos e turbulento mari et atrocissimis procellis salvos in hunc *Academiæ* portum receperimus. Magnum profecto beneficium! idque Deo O. M. grata ac pia mente lubentes acceptum referimus. *Leehmansius*, *Stolleus*, *Nieuwenhuisius* iam fere obliiti sunt, se aliquando fuisse vulneratos. Si quos præterea plumbum hostile tetigerit, erat sine ictu, et intervallo vim amiserat. Macti estote, egregii adolescentes, fide et virtute vestra. Otio ad literas recolendas vobis a rege concesso ita utimini, ut vos decet, hoc est, genui-

nos academiae Leidensis alumnos. Huius academiae, quam vinculo arctiore cum universa patria constrinxistis, huius academiae laudem ut foris auxistis, ita domi eandem tuebimini. Hoc mihi, si nihil aliud, ea spondet modestia, qua in omnibus dictis factisque recentes e bello victores utimini. Atque utinam hoc otium sit diuturnum, et, sublato tandem belli communis metu, perpetuum! Sin aliter eveniat, properate, quo patriae caritas, decus et gloria vocaverint. Princeps Arausionensis non falletur, si iterum hanc vocem emisit: *Praeitote, Leidenses!* Dixi.

PHILIPPI GULIELMI VAN HEUSDE AD BONARUM ARTIUM IN ACADEMIA RHENOTRAIECTINA STUDIOSOS PROTREPTICUS *).

PRAEFATIO.

Huic, quem studiosorum usui destinavimus, libello aptissime inserendam duximus narrationem rei, quae, causae si respiciuntur, e quibus orta fuerit, gravis, si ratio, qua gesta sit, illustris, si vis, quam spectatorum in animis reliquerit, memorabilis est dicenda. Vicesimum enim sextum, qui proxime instaret, Ianuarii diem *Heusdio* festum fore ut animadverterant nonnulli, ita multi continuo exopta-

*) E Kalendario studiosorum Traiectinorum a. 1830 separatim editus a. eod. ibid.

bant, ut non a doctore tantum, sed et a discipulis, quippe tam his quam illi hilaritatis fons, celebraretur. Uno igitur alterove excitante ceteros, ut illius diei vespera solenni pompa *Heusdium* salutarent, mirum, quanto cum animi ardore nos omnes, cum literatores, tum vero etiam nullius non doctrinae studiosi, id approbaremus, tale ut nostri in optimum magistrum amoris, qui pectoribus insidet alto, ederemus indicium.

Huic autem, quo ferebantur iuvenes, entusiasmo haud cessit doctoris hilaritas et alacritas, quum ipso die festo e cathedra *Demosthenis* pro corona oratione interpretanda et recitanda ita praeiret com-militonibus, ut, quid animo tum maximo sentiret, facile observarent perspicaciores. Proxime autem subsequente hora, qua gentium historiam explicare consuevit, verbis ipse disertis id expressit. Nam cum in ea rerum Persicarum parte versaretur, quae est de puerorum apud eos educatione, fuse egit de grato, quem in his excitare et alere studebant, animo; unde sponte ansam nactus, pauca, at ex imo pectore profecta, de sua ipse *ἐνχαριστία* memoravit. Quid illud sit, dicebat, sensi subinde, Auditores: eiusmodi est, ut quis cuivis significet lubentissime, quid Deo, quid amicis, quid discipulis etiam suis ad vitae felicitatem debuerit.

Vespertino vero tempore, cum facibus accensis ad musices sonum procederemus, non cantu tantum, sed et vultu, et corporum habitu ac motu maximam exprimebamus laetitiam et hilaritatem. Ad *Heusdū* domum accedentes, ut ipsum conspeximus, fausta ei nos omnes exoptare: alter alterum urgere; quisque fenestrae proxime accedere conari; quum autem intrarent conclave delegati nostri, tum, qui foris

erant, silentium iubere : *Heusdius* vero deinceps et vultu et oratione ad nos sese convertere, poculumque exhaurire, ut voluntatem in nos suam significaret : hic nos omnes acclamare, iterum iterumque doctoris nomen beatum ipsiusque vitam felicem prae-dicantes. Haec autem, quae et videramus, et vero audiveramus, ita nos moverunt, ut discederemus effusa exsultantes laetitia, quippe arctissimo nos cum *Heusdio* coniunctos sentientes vinculo, quod nulla unquam aetas est disruptura.

Huius autem coniunctionis vim penitus percepi-mus, cum postridie, anteaquam Orientis historiam exponere pergeret, intima animi sensa oratione de-clararet, quam ab eius ore pendentes, excepimus. Tum enim audivimus, quantopere nos diligeret, qui verae nostrae saluti consuleret, optimus magister. Verbis quidem affectus exprimere non possumus, qui tum animum subiere nostrum, gratissimos. Quae, enim *Heusdius* mente volverit, lectores ex eius ora-tione facile efficient, sentire vero, iisque penitus imbui, illi potuerunt tantum, qui ipsum tum et au-diverunt dicentem, et commotum adspexerunt. Ut vero cuivis perpetua esset perceptae voluptatis me-moria, diligentia effecit commilitonum, quorum alii continuo, quae audirent, scripto mandarunt, alii, qui auribus, ut ait poëta, biberant dicentis verba, scripta deinceps emendarunt, suppleverunt, ordina-runt. Sic ortus est, quem hic apponimus quam lu-bentissime, ab ipso auctore limatus, Protrepticus.

Versamur in historia antiqua, Auditores ; verum hac hora, priusquam pergamus, excurrere paulisper

in recentiorem lubet, imo vero in recentissimam et hesternam adeo historiam. Nam quae hesterno die, non quidem in gentium, sed in *meis* rebus acciderunt, eiusmodi fuerunt, ut silentio non videantur praetermittenda. Rem vero vobis ab initio inde totam narrabo. — Matutino equidem tempore reputabam mecum, quae quantaque essent a providentia divina in me meosque collata beneficia, et grato illa animo recolui. Subibat autem mentem simul cogitatio haecce: quale tandem quantumque est, quo tu per hos quinque et viginti annos in hac academia functus es, munus! Iuvenis illud alacriter capessivisti; sed maturiore aetate qua tu ratione in eo explendo versatus es? Fecistine, quae iuvenili illo vigore susceperas, quae a te alii, quae magistri a te exspectaverant? Tantis te magistris dignum discipulum probasti? Dolui, AA.: nam vobis haec confiteri quid nolim? dolui, mecum reputans, quam parum ego et aliorum exspectationi et meae ipse voluntati satisfecissem. Nam institui (fatebor enim) fecique multa, quorum me postea poenituit: plura vero etiam, quod pudet referre, non feci, quae officium et tanti muneris gravitas a me postulabant plane. Haec ego mecum alto mane; tristiora sane quam laetiora: et profecto, AA., nisi haec ipsa cogitatio stimulum mihi admovisset, ut, quae neglexissem, facere deinceps naviter et constanter studerem, nec ita hilaris deinde ad vos prodiissem, nec tanta, quanta feci, alacritate cum Demosthenem vobiscum fuisset interpretatus, tum locum in historia Persarum, in quem forte et casu incidebamus, de *animo grato*. Sed de illis haec satis: de vespera agendum mihi vobiscum est. Quo enim tristius matutinum tempus, eo laetius mihi, imo supra quam dici

potest laetum gratumque vespertinum fuit, — Nam diem hunc equidem mihi meisque insignem festumque duxeram, aliis non item: quo magis mirabar, unum alterumque familiare et collegarum me invisere, qui hac mihi opportunitate, iunctis dextris, fidem et amicitiam probaret: afferri item absentium amicorum epistolas peramanter scriptas et fidei plenas. Id autem quo minus exspectatum, eo mihi gratius iucundiusque accidisse, ipsi intelligitis, amici; sed vesperi, cum ad focum, ut mos est, sive legerem scriberemve nonnihil, sive cum uxore liberisque confabularer iucunde, advenissentque amici, qui partim scirent, quid vos ageretis, partim nescirent, ecce! tympani e longinquo audimus sonitum, leniorem primum et subobscurum, mox acriorem identidem gravioremque et intonantem tandem: cui suavioris deinde Musae modulationes, item cantus, sono itidem paulatim inclarescentes accedebant, ut et chorus advenire *φιλομούσων* hominum, et domum meam petere, iamque appropinquare videretur. Hic omnes mirari, quid hoc esset negotii: alius alium adspicere, et, quid fieret, rogare: unus autem subridere, vehementerque intus delectari animo, quippe rerum ipse conscius, quibus obstupescerent caeteri plerique. *Sunt*, inquit, *credo, vulgi rumores, plaustrorum strepitus; age vero! mirari desinamus, excurramus foras, ut, quid sit illud, videamus, vel has fenestras, quod praestat, aperiamus!* Quibus apertis, quid vobis enarrem, AA., quae viderimus, quae audiverimus, quae animo senserimus? Lucebant omnia longe lateque lampadum luminibus; sed vos eratis nobis, *Vos ipsi*, inquam, carissima capita, *τὸ κάλλιστον θέαμα. τῷ δυναμένῳ θεᾶσθαι*, chorus pulcerrimus, non *φιλομούσων* tantum, sed

rum autem lubentissime, particeps, omnes igitur delectaremur mirifice: accidit, ut ego, ad fenestram accedens propius et vos respiciens, (illuc trahebar enim) vestro sic extemplo et plausu et clamore exciperer avocarerque a caeteris, ut non possem non me totum ad vos convertere, vobisque universis, quod feceram delegatis, qualicumque tandem oratione, sed ex intimo pectore profecta, pro illustribus hisce vestrae erga me benevolentiae documentis animum gratum declarare. Caetera quid vobis, scientibus et reminiscentibus, memorem? Illud adiicio, saepe me observantiam et caritatem in me vestram expertum esse, sed tanto vos me amore prosequi, quantum nunc sum expertus, numquam ne vel suspicari fuisse ausum. Discessistis a me tandem, iubentibus choregis, amici; sed ita discessistis, ut memoriam mihi caritatis vestrae relinqueretis talem, qualem nullus umquam dies ex animo meo deleturus est. Tum vero matutinae horae tristitia in laetitiam ac hilaritatem conversa, omnem percepi penitus vitae meae felicitatem.

Et sic quidem transactus hesternus dies est, vobis gratus, ut dictis factisque comprobastis, mihi autem unus in paucis maxime in vita mea memorabilis. Quae tum vobis dixi, AA., nunc iterare nil attinet; quamquam argumentum spectabant illa, de quo et iterum et tertium et saepe agere iucundissimum sit. Nam de vitae ad vos dicebam felicitate, quae mutuo amore continetur: quo me continuo et amor erga me vester ducebat et mea in vos voluntas. Et hercle! AA., in vos nunc intuens denuo, alto hoc solemnique silentio in me universos oculis animisque conversos, non possum non vobis iterum gratias agere, qui me doctorum omnium, qui sunt

aut fuerunt, vestra caritate felicissimum feceritis. Sed aliud est, de quo iam agere vobiscum velim. Nam ut per tot annorum decursum in hac versatus academia sum, vixique perpetuo in mediis bonarum artium studiosis, quorum ingenia explorare, studiorum cursum persequi, res postea item, hoc cursu peracto, vitamque attendere lubenter solebam; hinc visus mihi sum haud temere colligere, quid illi spectaverint fere, quidque egerint potissimum, qui splendent hodie gravissimis muneribus, vel, quod sufficit, digni hoc splendore ab omnibus censeantur. Haec velim vobis paucis communicare, si forte ex usu meo et experientia, ad viam studiorum optimam naviter persequendam, proficere cupiatis. Agam vero, ut sponte intelligitis omnes, de germanis artium doctrinarumque studiosis, non de iis, qui falso hoc nomine dicuntur, uniceque huc fuerunt delati, ut vel titulum nescio quem, vel *panem*, quod vocant, studiis quaererent. Hos ego numquam cum discipulis meis confudi: et sane, ut rudes huc venerant fere, ita rudes hinc agrestesque abierunt: de discipulis agam meis, liberalioris institutionis iuvenibus, quales vos estis, AA. Et de his quidem ego illud animadverti continuo: *incubuisse eos naviter in graecarum latinarumque studium literarum, vel, si eas negligentius tractassent, huius ipsos negligentiae postea poenituisse vehementer.* Nam quidquid dici vere pulcrum et sublime potest, id inest veterum scriptis; quaeque optima sunt habenturque vitae honeste eleganterque degendae praecepta, haec item iisdem illis scriptis continentur. Quo accidit, ut, renatis tandem literis his antiquis, ad cultum et humanitatem accesserint pervenerintque populi recentiores. Haud mirum iccirco, quo interius

se quis in antiquitatis sensum ac studia insinuaverit, eo illum ad verum ingenii animique cultum pervenire certius. Nescio quid vobis acciderit, si quando colloquiis hominum ac familiaribus quacunque de re sermonibus interessetis: ego mihi animadvertere visus sum fere, utrum a pueritia his literis fuissent dediti, nec ne: colorem quis sponte inde ducit, qui in omni et sermone et actione, in toto habitu ac vitae genere apparet. Nec vero ad cultum valet unice constans earum studium, valet ad doctrinas item recte tractandas: nam sine philosophia nemo in iis facere progressus potest; philosophiam autem, qua et acuatur ingenium et ratio ad dialecticam diligentiam confirmetur, unde quis aptius petat, quam a veteribus philosophis, ipsius philosophiae in genere humano auctoribus?

Id igitur primum est eorum, quae animadverti: secundum est hoc: *literis coniunxisse historiam fere, qui recte progredierentur*: quod vos quidem omnium minime mirabimini, AA., quippe qui ipsius ducti *historiae* studio, huc veneritis. Sed sunt illiberalis ingenii homines, his maxime temporibus nostris, qui scholas professorum ipsasque adeo academias, officinas esse putent, in quibus theologi, iureconsulti, medici, tamquam fabri, artem discant. Isti quae sit literarum, quae philosophiae, quae item historiae utilitas, ignorant; quaerunt adeo, quid causae sit, ut his studiis, legis adeo auctoritate, unum alterumque annum detineantur iuvenes, quo minus continuo et naviter illud discant, cuius facitandi causa in academiam venerunt. Inertes sane et stupidi homines! qui, si stupiditatem suam silentio tegerent, hac saltem re solertes viderentur: nunc crepant haec ubivis, quo inertes non tantum et stu-

pidi, sed et impudentes videntur. Sed clamitent isti publice et privatim; nos optimam vitae, literatae item, magistram consulamus. experientiam. Id vobis affirmo, AA., eorum, qui in hac academia per hos quinque et viginti annos, studiis nostris spre-
tis, suae unice doctrinae operam navarunt, paucos fuisse, qui probabiles facerent in sua doctrina progressus, multos, qui similes evaderent stupidis illis, quos dixi, et impudentibus declamatoribus, plurimos vero, qui, relictâ academia, sic laterent deinceps in obscuro, ac si numquam vixissent: contra, qui lucent hodie in patria nostra et ab optimo quoque celebrantur maxime, hos regiam fere inivisse studiorum viam, et, si minorem, quam nunc vellent, literarum et philosophiae operam dederint, *historiae* certe dedisse maximam. Sed historiam intelligebant illi non chronologiam, non seriem regum et dynastarum, non bellorum ac certaminum enumerationem: quae ignorare historiae studiosum dedecet, tenere vero, ad doctrinas tractandas parum prodest: disciplinam intelligebant, quae rerum humanarum omnium, religionum, legum, institutorum, regiminum, et vero artium maximarum et doctrinarum initia, incrementa, vicissitudines complecteretur: cuius quis universae ignarus plane, quomodo in arte doctrinae qualicunque tractanda rite sit progressurus, fateor me non perspicere.

Adiicere his alia multa possim, AA., quae me animadvertere in discipulorum studiis meminî: in quibus haec sunt item ex. gr.: *industriæ plerosque et assiduitati plus, quam ingenio, debuisse: optimos quosque lectionibus professorum diligentissime interfuisse: multos me cognovisse, quos hac in re negligentiae puderet postea, quos vero diligentiae*

poeniteret, nullos, similia: de quibus tam in hac, quam in aliis academiis plurimi sane monendi sunt, illi praecipue, qui ingenio excellere, si minus aliis, at sibimetipsis videntur; vos vero non est quod moneam, AA., quorum plerique lectionibus non tantum lege praescriptis, sed aliis, quibus nemo interesse cogitur, et assidue et diligenter, imo ultro intersunt, ut documento sint omnibus, inesse homini natura, qui multos hodie latere videtur, *discendi amorem*. Missis igitur his, de quibus vos velim alios moneatis, ad ea procedo, quae vitam magis et mores quam literarum studia attinent.

Et huc quidem tertium spectat eorum, quae, in attendendis academiae huius alumnis optimis, mea mihi comprobavit experientia. Est illud huiusmodi: *vitae eos felicitatem moribus magis, quam studiis adsecutos fuisse*. Vidi, qui viam, quam dixi, regiam ingressi, sic incumberent in literarum, in philosophiae, in historiae studia, tam praeclaros item in hisce atque in sua deinde doctrina progressus facerent, ut laudarentur ab omnibus mirifice: nec tamen sibimetipsi viderentur felices, haud enim reputaverant secum satis, animo nos non minus, quam ingenio, homines esse: utrumque igitur decere pari studio excolere. Animum neglexerant fere, sive-
rant eum plenum esse ambitionis, livoris, invidiae, suspicionum, aegrum omnino: quibus quis malis laborans, quo tandem modo esse reapse felix potest? Vidi alios, quorum non minores essent progressus, fama adeo per totam academiam maior etiam: qui vero prorsus ab illorum abhorrerent morositate, hilares essent fere in vitae consuetudine, omnibusque grati et accepti, quippe perquam amoeni: nec tamen magis essent, quam illi, felices; imo vero sic

interdum animos desponderent, ut omnium se mortalium miserrimos dicerent. Scilicet nec hi, AA., mederi animo didicerant: invidia quidem in eos nulla cadebat; sed, prae levitate morumque inconstantia, seduci se subinde ab aliis fuerant passi: cupiditatibus et libidinibus sic frenum relaxaverant, ut inhibere eas tandem nequirent, ipsique ab iis ad abiectionissima quaeque et turpissima raperentur: hinc pudor postea, et vero *hinc illae lacrimae!* Tales vos ipsi forte utriusque generis cognoveritis iuvenes: intelligitis hinc autem, 'ad nominis celebritatem valere literarum studia, ad vitae vero felicitatem non sufficere: accedere oportere, vel praecedere potius indolem generosam, requirique animum imprimis sui compotem. Sunt adeo, vobis item, opinor, non ignoti, qui vix ullam vel literis vel doctrinis operam navent et tamen sint habeanturque ab omnibus perquam fortunati. Quid igitur? Quaeretis forsitan: nullamne habent ad vitam placide iucundaeque transigendam literae vim? Habent, AA., et vero permagnam: modo recte iustoque proposito excolantur, non ad gloriolam captandam inanem quamdam, unde livor animique aegritudo facillime oboriuntur: nec ad ingenium excolendum solum, quo magis et alios delectemus et delectemur ipsi; sed ad firmandam praesertim corroborandamque rationem, ut et regat haec animum et cupiditates cohibeat. Haec enim vis est literarum; nil pulcrius sublimiusque antiquorum poetis, nil eorum historicis, philosophis, oratoribus suavius aut elegantius; sed eorundem lectione nil item valet magis ad virtutis veritatisque amorem in animis nostris excitandum, quo accenso facile quis sibimet ipsi imperet. Qui sic exculti literis sunt, penitusque veterum philosophia imbuti et

quasi nutriti, etiamsi non laudentur magnopere aut in circulis conventibusque placeant, suae certe consuluerint felicitati verae, quae cum virtute sit et animi constantia coniuncta. Tales item ego in hac academia cognovi iuvenes, eosdemque deinceps amicos expertus sum, experiorque in dies magis optimos. Hi autem fuerunt, omnesque eorum cum in hac tum in aliis academiis similes, qui mihi, quod modo dixi, exemplo probarent suo, moribus quem magis, quam studiis, utrisque autem facillime certissimeque, veram consequi vitae felicitatem.

Nolim vos diutius, quam temporis concedit modus, detinere. Veruntamen, age, expleamus τετρα-
 πύην et quartam hanc item accipite ex usu meo et experientia animadversionem. Id me docuit omne hoc tempus meum Traiectinum, quibuscumque sit aliquis sive ingenii facultatibus sive in doctrinis progressibus, nisi idem cum pietate parentes, tum observantia magistros, tum fide amicos sit prosecutus, de eo nil magni aut praeclari esse augurandum. Pectus est, A.A., quod disertos facit, sed efficit hoc item, ut nulla non arte factitanda vere consulamus civibus nostris, ut et dotes ingenii omnes et quaecumque his dotibus adsecuti sumus, in patriae humanitatisque commodum adhibeamus efficaciter. Pectoris autem sensus excelsiores quo tandem modo istis inesse possunt, qui vel impii in parentes sunt, vel ingrati erga magistros, vel in amicos perfidi? Quo sane mihi melius de vobis praeclariusque augurari licet, qui, qua sitis in magistros observantia, qua eos adeo voluntate et caritate prosequamini, et vespera hesternae pompa illa illustri declarastis, et vero nunc, per hanc horam totam, vultu mihi oculisque et animorum attentione comprobastis.

AUGUSTI BOECKH

ORATIO DE PERICLE ATHENIENSI*).

Magnum mihi, etiam post crebram exercitationem, quod suscipio, videtur, auditores, de Rege, populi deliciis, eo die disserere, quo sibi illum divinitus datum universa laetetur civitas, hoc est eo die, quo, quod animi sensus verbis aequare difficile est, quantumvis dixeris, non modo audientibus sed ne tibi quidem ipsi satisfactum putaveris: maius id iudico, ubi, quum ampla oratori materia proposita sit, modus dicendi quaerendus et cavendum est, ne ita dicas, ut Regis ipsius modestiae plane singulari minus convenire oratio videatur; quippe quem non tam laudari quam facere laudabilia velle non ignoremus: maximum est de illo apud eos dicere, quos, siquid vel parum urbanum vel minus commode aut pinguius dictum exciderit, noveris acriter pungi et perstringi. Rursum vero in quibus rebus summa posita difficultas est, in iisdem solamen ac remedium inesse video. Nam primum quod coram iis verba facio, qui animis ad Regem venerandum promptissimis eximieque propensis accesserunt; si Friderici Guilelmi virtutes non pro sua ubertate exposuerim, sed quasi aliud agendo percucurrerim, quae levius significavero, ea apud vos in maius accipientur et in vestris fiventium animis crescent: ut tenuis quasi scintilla vestris pectoribus iniecta ar-

*) Habita natalitiis LII Friderici Guilelmi III., regis Borussiae, celebrandis in universitate litteraria Berolinensi a. 1821 ibidemque separatim a. eod. edita.

dentissimam caritatis et admirationis flammam sit suscitatura; deinde Regis modestia spectata importuni laudatoris speciem effugero; postremo inter eruditos vel eruditionis studiosos licet ex priorum rerum memoria talia admiscere, quae etsi videantur huc non pertinere, illi non tanquam aliena aspernentur, sed quibus sese etiam oblectent, dum, quomodo variis temporibus et in diverso rerum statu eximii viri de genere humano bene mereantur, considerant et comparant. Hoc enim hominibus cordatis maximam fere voluptatem affert, non si quis ea narret, in quibus nihil ipsorum ingenio sit relictum, sed si largam inquirendi materiam proposueris, quam percennere, pensitare, iudicare possint, ex qua uberiores, quam quae verbis dicentis continentur, cogitationes, sententias, sensus eliciant. Itaque hodie in remotiora tempora redire constitui et paucula dicere de viro olim maximo, cuius merita et famam, etsi ille rex non fuit, regum tamen vix ullus aequaverit: producam Periclem, artium et litterarum statorem etiam felicem, ut parem nulla tulerit aetas; sed ex tanti viri rebus ea potissimum delibabo, quae mihi huius diei sollemnitati accommodata esse videantur.

De Pericle igitur ut, priusquam ad eas res perveniam, quarum causa dicere de illo consilium est, nonnulla praemoneam, illum constat non hominem novum repente in rempublicam irrepsisse, sed nobilissimis esse parentibus ortum, quorum in civitate laud exiguae partes fuissent. Nam patre usus est Xanthippo, quo imperatore Persarum classem apud Mycalen vicerant Graeci; matrem habuit Agaristen Alcmaeonidem ex ea gente, quae a Nestore Nelei filio originem repeteret et regiae olim Athenis stirpi propinqua esset: avia materna filia Clisthenis Sicyo-

niorum tyranni: matris patruus Clisthenes Megacリス
 filius, Atheniensium legislator, quo potissimum duce
 Pisistratidarum imperium civitas excusserat. Sed
 magnos parentes aemulatus Pericles ipsis exstitit
 maior: qui postquam optimatum partibus victis
 populi sibi gratiam conciliaverat, quum videret
Atheniensium libertatem et potentiam non posse nisi
navalibus copiis suffultam esse, Themistoclis insi-
 stens vestigiis, qui mari plurimum tribuerat, socios
 redditusque patriae tot tantosque partim servavit,
 partim comparavit, ut nulla civitas Athenis esset fir-
 mior, ipsae autem omnium essent opulentissimae.
 Quod quum perficeret, si plura videtur admisisse,
 quae probari nequeant, cogitandum est, eam fuisse
 rerum condicionem, ut acerbiora multa non sua
 sponte, sed invitus facere debuerit, quod perpetuis
 fere discordiis et Graecia universa et singulae civi-
 tates vexarentur, et Lacedaemoniorum praesertim,
 Atheniensibus ut plurimum infensorum, potentia es-
 set reprimenda, qui, principatus aequae atque Athe-
 nienses cupidi, tamen eidem retinendo impares erant.
 Sed ne in illis quidem rebus, quas iure vituperave-
 ris, privata Pericles commoda secutus est, nec quid-
 quam unquam sordidum aut contemptibile fecit:
quaecunque gessit, magni animi documenta sunt;
 maiora fuerunt, quae molitus non perfecit: quem
 quidem haud obscurum sit vel commune omnium in
 Asia et Europa Graecorum foedus agitasse, quo
 praeter templorum a barbaris deletorum instauratio-
 nem et communia sacrorum sollemnia celebranda pa-
 cis diuturnitas et libera ac segura navigatio prae-
 staretur; quod foedus quominus fieret, Lacedaemo-
 nii maxime impedimento fuerunt. Idem tamen, etsi
 nihil, quod magnificum patriae esset, omisit, quae

fieri pro rerum statu possent vel non possent accurate dignoscens, singulari moderatione imperium partum tueri quam longinquas et periculosas expeditiones spectare maluit: et quum alii Aegyptum, Atheniensibus iam prius perniciosam, Siciliam, quae post Periclem Atticis copiis exitio fuit, Etruriam, Carthaginem affectandam arbitrarentur, noluit cives in discrimen dare, sed dux belli in ea potissimum re gloriam quaesivit, nihil ut nimis arduum vel anceps susciperet, militesque, quod ipse dicebat, quantum penes ipsum esset, possent immortales esse. At quum vel solis prudentibus in republica regenda consiliis rebusque fortiter gestis, quibus Athenienses super ceteras Graeciae gentes cunctas extulit, magnum apud posteros meruerit nomen, tamen dubites, utrum ille patriae tantam voluerit potentiam comparare, ut artes litteraeque et cultus humanitatis universus foveri munificentius et efflorescere laetius possent, an his ipsis studuerit insignius, ut Athenarum laudem et splendorem augeret. De quo ego ita iudico, neutrum Periclem excluso altero egisse; sed quum videret, Atticam civitatem non posse principem esse, nisi mercatura, opibus, exercitu, classibus praestaret, idem perspexit, his ipsis copiis firmatam, nisi artium decus, litterarum lumen accessisset, rudem et inconditam molem fore: igitur non alterum alterius, sed sua utrumque causa bonum putavit comparandum. Nam, ut in litteris et artibus nunc consistam, neque ostentationis causa neque ob vilia communis vitae commoda Pericles illas amplexus est, sed quod nihil iis neque honestius nec praeclarius esse intelligebat; quippe cuius ingenium non solum institutione puerili, sed etiam virili aetate eruditissimorum hominum disciplina et familiaritate

formatum et politum esset ac potissimorum studiorum notitia instructum. Nam primum, qua una tum arte civitates regebantur, eloquentiam ita tenuit, ut illius linguae fulmen inesse validissimum diceretur, Iovisque Olympii tonitrubus conferretur imperatoria in foro vox: unde solus ille in concionibus regnavit, prudentiaeque et viribus, quibus in dicendo pollebat, nemo facile restitit. Sed orationem plenam, gravem, magnificam, acrem, strictam alebat doctrina philosophorum, quae insitam naturam animi magnitudinem praeclaris praeceptis corroboravit. Ea vero aetate quum duae maxime philosophorum sectae florerent, Eleatica et Ionica, utriusque principibus familiariter usus est. Etenim Zenonem Eleaten, magni Parmenidis discipulum amicumque, quum hic Athenis versaretur, cum aliis nobilibus audivit: cuius dialectica et abstrusa philosophandi via, licet inde aliquid etiam ad bene dicendum peti potuerit, tamen maxime in rerum natura cognoscenda posita et a rebus adspectabilibus longissime remota, potest argumento esse, Periclem non ea sola quaesivisse, quibus in suggestu uteretur, sed liberali et genuino esse sapientiae studio ductum. Profecto summa admiratione dignum illud saeculum, quo viri philosophia eruditi magnis rebus publicis et exercitiis imperitabant; dignum admiratione spectaculum, Pericles, Zenonis Eleatici discipulus, apud Samum classe conflictans cum Melisso Ithagensis filio, qui iisdem fere, quibus Zeno, temporibus libro de ente et natura conscripto inter Eleaticae sectae principes inclaruit. Neque huic uni placitorum generi addictus, quod in viro civitati praeposito maxime laudaveris, quem varias philosophandi rationes nosse et tolerare, non alteram alterius studio contemnere vel praeclu-

dere oportet, Pericles diversae plane disciplinae sapienti, Anaxagorae physico, ingentis animi viro, qui divino philosophandi impetu ductus domum agrosque reliquerat, imprimis deditus fuit eumque insigniter admiratus est. Eundem Protagora Sophista esse usum atque cum eo diurnas habuisse disputationes, easque de argumentis eiusmodi, quibus inhaerere, ut filio Periclis visum est, ita etiam nobis ridiculum videantur, Plutarchus tradit: quod aut exercitationis animive causa fecisse censendus est, aut quod, quae levius consideranti nullius usus esse putentur, ob causam aliquam, quae non est huius loci, curatius anquirere intererat. Iam vero ut de artificibus dicam, Damonem musicum Periclis sodalem fuisse, auctoribus certis constat: qui quum et rerum civilium peritissimus tantaque in republica auctoritate fuerit, ut testarum iudicio patria expelleretur, et musica non manu tantum et voce exercuerit, sed philosophis et mathematicis rationibus numerorum modorumque vim et potestatem sit complexus, probabile est Periclem illum tam in civitatis rebus quam in carminibus musicisque et poetis iudicandis adiutorem et amicum consiliarium habuisse. Quidquid autem ad aedificia exstruenda ornandaque et ad sculpturam affinesque artes pertinebat, in eo nemo nescit Phidiam, immortalem virum, qui deorum maiestatem simulacris ab ipso confectis non assecutus est sed auxit, Pericli affuisse non solum monitorem sed etiam operum curatorem. Ita ille, quemadmodum civitatis rectorem decet, artium et litterarum ambitum prope universam animo emensus est: utque ipse nullam earum partem neglexit, sic cunctae tum Athenas confluerunt, ibique sedem fixerunt: non quod respublica Pericle, suadente alendis omnibus

sumptum impenderit, sed quod laeta et splendida civitatis administratio insignisque libertas litteris concessa honosque bonis artibus habitus praeclara ingenia prae aliis locis invitavit, et quod, Atheniensium mentes ad optimum quodvis studium ita erectae sunt, ut apud hos audiri, spectari, probari cultissimus quisque cuperet. Igitur ut a poesi incipiamus, inter epicos, quorum ars tum languescebat, qui solus putatur excelluisse, Choerilus Samius, Persicorum bellorum vates praestantissimus, is Athenis maxime probatus et cultus videtur; lyrici autem carminis genus, quod ea aetate potissimum supererat, dithyrambicum cyclicis Atheniensium choris maxime exercitatum est. Sed nulla poesis pars laetius tum florebat scenica, quae nusquam fere nisi Athenis formata et perfecta est; et tragoediam quidem post Aeschylum, Pericle priorem et, quod antiquae disciplinae amator erat, magis ab eo alienum quam ei delictum, Sophocles consummavit, qui Antigona, fabula data a populo Atheniensi Periclis in praetura Samis est collega creatus; successit Euripides, quem et ipsum Pericli insigniter addictum fuisse ex quodam colligo indicio. Et quum in lyricas tragicasque commissiones ingentes fierent impensae, ne comoedia quidem, principibus reipublicae quamvis infensa, neglecta est: quippe talis erat Pericles, qui invigorum multoque magis scurrilium et facitorum hominum contumelias et opprobria facile ferret, ne libertatem iocandi plebiscitis constringendam censeret: quodsi sub ipso veteris comoediae licentia, plane immensa semel coercita est, ea lex non ultra quadriennium valuit. Rerum quoque scriptor tum inclaruit, quem parentem historiae vocare solent, Herodotus, qui et Athenis opus suum operisve partem

recitavit et Pericli coniunctus haud dubie fuit, sive priusquam Thuriarum, in colonia ab illo condita, civis factus est, seu postea; nec, qui eius libros accuratius legerit, plura quam in Atheniensium tum in Periclis gratiam scripta esse negaverit. Ipse quin etiam Thucydides, quo praestantiorum historiarum auctorem non ullum tulit saeculum nec feret, illi aetati orationis vim civilemque prudentiam debet. Quid dicam de eloquentia? quam quam Gorgias alique Sophistarum et ex Atheniensibus Antiphon Rhamnusius in artis formam redigerent, Pericles ipse, etsi nihil praeter decreta scriptum reliquit, grande illud genus dicendi, cuius Thucydides specimina conservat, cum aequalibus perfecit; post quos Lysias, licet aetate recentior, non tamen, si absque Pericle fuisset, subtilem orationis formam Athenis excoluisset, quippe cuius patri Cephalo Syracusio Pericles, ut Athenas concederet, persuaserit. In philosophia autem praeter illas, quas supra dixi, scholas Sophistae in Attica civitate tolerati et opulentorum hominum muneribus allekti de rebus omnibus in diversas partes disserendi studium excitarunt: in quibus disputationibus eminens Socrates dialectica illa criticaque inquirendi ratione et morum praeceptis sanctissimis Atticae philosophiae fundamenta iecit, cuius splendor ad nostra usque tempora fulget clarissime. Quum vero illo quoque aevo essent, qui vana superstitione subacti philosophiae lucem, veluti bubones solem, reformidarent, vel callida simulatione privatis aut utilitatibus aut inimicitias religionem praetenderent, Pericles, physica Anaxagorae disciplina anxii istiusmodi curis exsolutus, philosophos, quamdiu potuit, tutatus est; ac postquam valescentibus adversariorum partibus, ut ipsi potissimum molesti essent,

Aspasiam et Anaxagoram, qui tamen de divinis rebus dignissime sentiens mentem omnia adornare et gubernare dixit, impietatis accusarunt, Periclis quidem auctoritate et prudentia est effectum, ut ipso superstite in neminem philosophorum acerbius animadverteretur: Aspasiam certe precibus, Anaxagoram clam dimissum periculo exemit: at postea improborum et fanaticorum hominum artibus non modo Protagoras eo redactus est, ut nonnisi fuga exitium devitarit et eius libri sint publice cremati, sed ipse Socrates, philosophorum probissimus, tanquam numinis contemptor et corruptor iuventutis, supplicio affectus est. Sed tantum, qui tum fuit, litterarum florem, si fieri potest, artes superarunt. Nam postquam satis prospectum opibus colligendis et aerario complendo erat, Pericles populum Atheniensem, non ut avarum copiis insidere, nec aurum argentumque in thesauris absconditum esse voluit, sed, quantum sine publico detrimento posset, erogandum censuit, ut urbs et delubra deorum magnifice ornarentur, eaque plebis pars, quae laborem non aspernaretur, honesto aleretur quaestu: quum praeterea videret, Athenienses non ut Spartanos vel Boeotos fructibus suis vivere agrisque quasi adscriptos esse posse, sed civitatem populari imperio maritimaque potentia utentem fabricae praestantia et celebritate auctaque inde mercatura excellere debere. Igitur ille populo persuasit, ut talia moliretur opera, quibus sempiternum civitati decus accederet omnesque artes manusque omnes moverentur, atque universa prope urbs ex se ipsa simul ornaretur et nutriretur; qui marmor, aes, aurum, ebur, cupressum, ebenum tractabant, omnis generis fabri, lapididae, sculptores, aurifices, pictores, plumarii, tinctorum, postremo

qui navibus plaustriſve materiam apportabant, ita Periclis conſilio exerciti ſunt, ut ſumma tum Atheniſ officinarum et opificii industria eſſet. Quodque maxime mireris, breviffimo ſpatio non unum ille et alterum aedificium, ſed plurima et imprimis ardua opera abſolvit, Parthenonem, Eleuſinium myſtarum receptaculum, Odeum, longos muros, Propylaea, alia: haud illa brevi caſura, ſed quae, non dicam temporis iniuriam, ſed immanium barbarorum vaſtationes ſuperare potuerint. Nam qui populum aequè olim fortem atque ingenioſum, poſtquam variis caſibus a maiorum virtute paulatim degeneraverat, in ſervitutem iniquiſſimam redegerunt, ex qua utinam nunc magnanimis contentionibus parentum fama dignis in perpetuum vindicetur, non potuerunt priſtini ſplendoris monumenta prorsus delere; ſed ut omnis per Europam elegantior cultus a Graecis proceſſit, ita illa opera etiam nunc noſtris artificibus exemplo ſunt, et in hac ipſa urbe ſignorum in Parthenoniſ ſtigiis ſervatorum reliquiae Regiſ noſtri beneficio imaginibus expreſſae conſpiciuntur. Iam vero ut ad alteram artium partem, quae in musicis praecipue verſatur, tranſeam, ſub Pericle in feſtis deorum ſcenicae actiones et omnis generis chori pompaeque ſollemnes tanto apparatu, non rudi quidem et barbaro ſed magnifico et eleganti, celebratae ſunt, his ut rebus plus ſumptuum impenſum putetur quam bellicis pro libertate et principatu expeditionibus: hiſtrionesque et cantores et ſaltatores tibicinesque et fidicines Atheniſ clariſſimi exſtiterunt: quorum perfectio etſi hodie oculis auribusque percipi nequit, tamen qui viris cultiſſimis, qui Pericli vel Sophocli placere potuerint, in ſua quoſque arte ſummos fuiſſe nonniſi antiquitatis imperitus negare

sustinuerit. Ita Periclis potissimum merito factum est, ut Athenienses ad pulcherrima, quaevis unice probanda recteque aestimanda formarentur, et eximia eruditio iudiciiue elegantia et subtilitas in universos propagaretur cives. Simul quoniam artes nondum in mollitiam inclinaverant, ingentium, quae spectabantur, rerum gravitate animi ad generosa consilia et magna facinora incitabantur. Idem tamen vir, qui in civitatem praeclaris decoribus quibusvis ornandam omne conferebat studium, in privata vita modestus, parcus, ita ab omni luxa alienus fuit, ut rem familiarem simplicissime instructam haberet, neque ad coenam invitatus unquam, nisi semel in Euryptolemi propinqui nuptiis, et ne tum quidem nisi usque ad incipientem computationem convivio adesset: in hoc quoque prorsus dissimilis posteriorum reipublicae antistitem, qui quum civitas in viis, fontibus, tectorio pinnis inducendo occupata nullum fere maioribus dignum opus susciperet, ampliores quam respublica sibi domos exstruebant lautitiisque affluebant.

At nimium fortasse in Periclis contemplatione commoratus sum, auditores; neque tamen id perfecti, quod perfecturum me esse poterat aliquis expectare: non ego exilibus verbis tantas res aequare possum, neque his limitibus circumscripto licet in singulas ita excurrere, ut satisfacere dicendo queat; denique Periclis non universam imaginem delineare nec de illo sua causa dicere institui, sed civitatis principem, qui litteras artesque eximie adiuvisset, proponere volui. In quo delegi eum, quem ut exemplar nitidissimum omnibusque numeris absolutum proposuisse non poeniteret; quem si verbis ornare tentasses, hoc unum assecutus esses, ut laude maior videretur. Quodsi

prae illo de Mediceae stirpis principibus dixissem, reprehendi iure possem, quod maxima negligere, minora captassem; quamquam hos summa praedicatione dignos esse ego minime negaverim: sin Ludovicum, Gallorum regem, quem aequalium adulatio Magnum esse voluit, produxissem, vereretur ne oratio mea contemneretur; Octavianum Augustum, litteris sane benignum, Periclem longo intervallo sequi intelligo: Aegypti reges Ptolemaeos, ut eruditionis studiosissimos, ita morum pravitate vel luxu foedos plerosque qua fronte in eum, qui hodie igitur, conventum adduxerim? Attamen haud aegre concedo, nostra tempora illis, quae modo significavi, multo esse similia, quam saeculo Periclis; utque illae aetates, ita haec nostra Pericleam aemulari, non consequi potest. Nam uniuscuiusque aevi cultus multarum variarumque causarum concursu provenit et absolvitur: nostrum autem saeculum, si quod aliud, longissimo spatio distat a Pericleae aetatis nativa simplicitate ceterisque, quibus Graecia tum praestabat, virtutibus, quas exponere longum neque huic loco accommodatum est. Igitur qui hodie Pericles fieri vel maxime sibi proposuerit, quidquid tentando et largiendo non multum profecerit: quippe nemo suis consiliis eum rerum statum adducet, qui in universa populi natura et indole, in temporum priorum decursu, praesentium condicione, ut uno omnia verbo complectar, in gentis fato divinitus praestituto iacta fundamenta habeat; nec, quantumvis Pericli tribuerit, quisquam illud infitias iverit, non Periclem illa ingenia provocasse omnia, sed illa fovisse et subsidiis instruxisse, illis liberaliter et munifice usum esse. Nostra quidem aetate constat rerum omnium faciem esse prorsus diversam; amplior quam olim

litterarum campus: litterae ipsae multiplices: harum alia genera liberalia, alia in usum vitae aut conversa aut inventa: artium, quas pulchras vocant, usus minus late patens: aliae profecto aequae atque antiquitus celebres et pro nostrorum hominum iudicio, quod de musica potissimum censetur, perfectiores; aliae in multis etiam cultioris Europae terris post praeclara olim initia tantum non obsoletae. Numinis reverentia in mentibus, caerimoniae ut plurimum sine splendido apparatu: vulgus in quaestum intentus, nullo fere pulchritudinis sensu aut veneratione; nec eruditionem seponere ab utilitate didicerunt. Itaque hodie qui reipublicae praefectus artibus litterisque consulere constituerit, pro ea, quae nunc est, rerum indole saltem ex parte alia longe atque ille Pericles instituta sequi debet: et certe Fridericus Guilelmus, rex sapientissimus, quod fieri potest, agit sedulo. Nam primum ut de iis artibus dicam, quae in signis statuisque elaborandis, in caelando et scalpendo, postremo in delineando et pingendo occupatae sunt, earum adiuvandarum munus, quod olim simplex fuit, si a scholarum institutione recesseris, quam hoc loco omittam, nunc duplex potissimum esse deprehenditur. Etenim postquam maxima ex parte Graeci, deinde etiam recentiorum ii, qui inde a litteris instauratis pictura praesertim inclaruerunt, rectam rationem exemplis eximiis docuere, diversaeque artificum exstiterunt sectae, a quibus varia tentata et effecta sunt; quoniam exemplis, quae non ubivis inveniuntur, et artifices instituendi et spectantium animi formandi sunt, intellectum est colligenda monumenta et optima exemplaria proponenda esse, in quibus artium origines, progressus, labes, quidque praestabile, quid vitandum esset, co-

gnosceretur. Sed congerendis marmorum fragmentis tabulisque pictis quamvis praeclaris artes non recreantur, nisi ingeniis, quae nunquam plane deficiunt, digna et larga praebeatur materia, in qua quid ipsa valeant, non semel atque iterum experiri, sed continuo usu et frequente exercitatione ad perfectionem pervenire queant. Utrumque subsidium Fridericus Guilelmus ex eo maxime tempore praestat, quo imperii potentia et dignitas ipsius consiliis prudentissimis et exercituum virtute restituta est. Qui postquam pretiosissimos operum elegantium thesauros ipsius maiorum liberali cura magnifice instructos ex hostium spoliis recuperavit, eosdem suo sumptu novis et insignibus copiis auxit et aucturus est; ac quoniam sparsus per regias domos hic apparatus iis, quae desiderantur, commodis inservire non potest, iussit artibus museum condi, quod quando absolutum et adornatum erit, haud minorem, quam aliquot iam primariae urbes offerunt, studiosis oblectationem, artificibus utilitatem praebebit. Sed Fridericus Guilelmus in hoc non subsistit. Nam quemadmodum etiam officinas et vulgaria opificia ad maiorem perfectionem adduci, ut externos aemulari possemus, Borussiae reges voluerunt iamdudum; ita Fridericus Guilelmus, in cuius imperio insignes civitas artifices nacta est, architectis, sculptoribus, statuariis, pictoribus magnam suppeditat materiam operibus clarissimis suscipiendis, quae videntur aetatem ferre posse: ornat templa pius rex, condit monumenta, statuas ponit gratus erga populum, exercitus, duces imperator; theatrum flammis absumptum restituit princeps civilis et urbis delectationibus indulgens. Nec verear ea dicere, quae morosi ludicra putaverint, scenica et musica; quibus tanto impensior cura adhibenda est, quo magis, si venusta spectentur,

quotidiana auditione civium finguntur animi, si prava aut minus decora, iudicium et mores corrumpuntur. Quis est enim qui Periclis severitati detractum putet, quod scenicis commissionibus patriam ornavit? quis non intelligit, comis esse principis populi voluptatibus misceri? quis ignorat, nulla re quam scenae disciplina ipsis quasi propria Athenienses esse cultiores factos, et ex universis Graecis litteris nihil ad nos pervenisse gravius nec magnificentius, quam fabulas scenicas et carmina musicis conventibus scripta? Igitur in his dignum hoc regno splendorem institui, id vero plane Pericleum est; eo magis quo simplicior Friderici Guilelmi privatus victus cultusque cernitur: ut videas illum non ostentationem et pompam, sed publicum decus spectare. Sed his dimissis, ut ad ea perveniam, quae nobis proxima sunt, litteris quoque alia atque antiquitus ratione succurrendum esse non est quod multis exponam. Quae quum olim solam fere a republica securitatem et honorificam aestimationem expetendam haberent, quoniam qui illas sive scriptis seu voce docebant, aut ipsi ab re domestica satis erant instructi, aut ingentem a discipulis mercedem exigebant, diu est ex quo principum et civitatum cura indigent, scholisque condendis et stipendiis magistrorum augendae sunt. Qua in re qualem se Fridericus Guilelmus praestiterit, haec ipsa universitas litteraria, hic ipse conventus documento est, qui, nisi ab illo convocati essemus, non hoc loco ageretur. Neque vero ille uni generi scholarum aut uni disciplinae generi studio aliquo, ut principes solent, ductus favet, ceteras posthabet, sed, quod longe optimum est, aequali quadam benignitate prosequitur omnes. Igitur ut de minoribus ludis taceam, in universo imperio Borussico gymnasia et lycea idoneis praecepto-

ribus instruuntur lautius; iis rebus, quae ad vitae communis et civitatis commoda pertinent, peculiares scholae instituuntur; universitates autem, in quibus altior doctrinarum scientia tradatur, nemo eorum, qui longo ex tempore fuerunt, principum munificentius et sapientius conservavit, instauravit, condidit. Quae dum quam brevissime percurro nec multis verbis exorno, nihilo minus id mihi perfecisse videor, ut non plane vacua neque ab his sollemnibus aliena Periclis iniecta mentio habeatur. Igitur sicuti illius aetas optimarum rerum largum tulit proventum, cuius reliquiis etiamnunc oblectamur et erudimur, ita Friderici Guilelmi principatus, precor, flore artium et litterarum magis indies sit conspicuus et talia proferat, quibus etiam ad insequentia saecula similis transfundatur eruditionis fama et fructus: ut, cuius nomini integritate vitae, bonitate imperii, rerum gestarum magnitudine satis ad posteros prospectum sit, idem illa quoque gloria mactetur. His artibus Fridericus Guilelmus civium caritatem et venerationem nactus est ac tuetur; et quod moriens Pericles, quum circumstantium alii alia in eius vita praedicarent, fertur dixisse, haec etiam aliis contigisse sibi cum fortuna communia esse, illud sibi esse multo maximum et pulcherrimum, quod nemo Atheniensium per ipsum pullam vestem induisset: id Fridericus Guilelmus superat; quem cum fortuna colluctantem vidimus, per quem non modo nemo unquam pullam vestem induit, sed cuius in natalitiis cives sollemni et laeta utuntur veste. Talem igitur regem Deus Optimus Maximus cum domo Augusta servet incolumem, illique et reipublicae, quam sapienter gubernat, tranquillum, felicem, ad bona quaevis et prospera procedentem deducat cursum.



TABULA CAPITUM VOL. I. P. II.

I. *A. Weichert* oratio de antiqua scholarum provincialium Saxonicarum disciplina eiusque salubritate. p. 5.

II. *F. Jacobsii* epistola de gymnasii Gothani historia. p. 23.

III. *G. A. Gableri* oratio de regii imperii sanctitate, cum omnibus civibus, tum studiosae maxime iuventuti pie religioseque colendæ. p. 55.

IV. *F. Schleiermachers* oratio de ecclesia christiana instaurata. p. 88.

V. *G. G. F. Hegelii* oratio de libertate evangelica. p. 103.

VI. *G. Hermann* praefationes de Homeri lectione. p. 116.

VII. *D. C. G. Baumgarten - Crusii*, dissertatio de oratoribus graecis, maxime Isocrate, egregiae institutionis publicae magistris. p. 125.

VIII. *P. H. Peerlkampii* oratio, habita Leidæ auspiciandis lectionibus m. Octob. 1831. p. 141.

IX. *P. G. van Heusdii* ad bonarum artium in academia Rheno-Traiectina studiosos protrepticus. p. 163.

X. *A. Boeckhii* oratio de Pericle Atheniensi. p. 176.

Impressit B. G. Teubner.

